1643

CENTRALE V. E. II

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
M 8
55 A
16
ROMA
L. 56. d.

8-55-A-16

PANEGYRICI
BARRONI


ORATORIA
alit vbere foetus
PANEGYRICI
SACRO-PROFANI
SIVE
Orationes Rhetoricæ
MISCELLANEÆ
AVTHORE
P. FR. BONAVENTVRA BARRONIO
Ord. Minorum Strictioris
Obſeruantiæ Hyberno Cloonmelien.
IN ROM. S. ISIDORI COLL.
PROFESSORE
Sup. permiſ.
Hermon
Ludouic
1643

ROMA

PANEGYRICI SACRO-PROPHANI,

SIVE

Orationes Rhetoricæ

MISCELLANEÆ

AVTHORE

P. FR. BONAVENTVRA BARRONIO

Ordinis Minorum Strictioris Obſeruantiæ, Hyberno Clonmelienſi.

IN ROMANO S. ISIDORI COLLEGIO PROFESSORE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Sumptibus Hermanni Scheus ſub ſigno Reginæ.

Romæ, Typis Ludouici Grignani. 1643.

SVPERIORVM PERMISSV.

Elenchus
ORATIONVM.

1 De Venuſtate Virginis Dei Matris.
2 Aggratulatio Eminentiſſimo Cardinali Antonio Barberino.
3 De S. Patricio Hyberniæ Apoſtolo.
4 Aggratulatio Illuſtriſsimo Archiepiſcopo Brunduſino.
5 De virtute Orationis.
6 De laudibus Philoſophiæ pro auſpicanda illius lectione.
7 De Natali Dominico.
8 De S. Theologia, cùm curſum Theologicum Author auſpicaretur.
9 De virtute Abſtinentiæ.

10 Aggratulatoria electioni, Reuerendiſſimi P. Ioannis de Merinero, Ordinis Minorum Generalis.

Fa-

Facultas Ordinis.

ORationes Panegyricæ à R. P. Fratre Bonauentura Barronio in noſtro collegio S. Iſidori de Vrbe Sacræ Theologiæ profeſſore cõpoſitæ, & à nonnullis noſtri Ordinis theologis auctoritate noſtra recognitæ & approbatæ, vt typis mandentur (modo ijs ad quos ſpectat videbitur,) facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes noſtra manu ſubſcriptas, & ſolito ſigillo munitas damus Romæ *in Conuentu Aracælitano 3. Kal. Febr. 1642.*

Fr. Gaſpar Sanches Proc. Gen.

De mandato ſua R. A. P.

Fr. Paulus Kinge Secr. Cur.

Reuerendiſs. P. F. Reginaldo Lucarino. S. Palatij Apoſt. Magiſtro.

LIbellos Barronianos panegyricũ, metricum, proluſorium, epiſtolarem a ſe miſſos, voluptuoſe perlegi. Inde magis placuerunt, quod a Theologica prodierunt officina, in qua rarò huiuſcemodi cuduntur argumenta. Qui ſcholaſticas ſerunt contentiones, omnem ornatum contemnunt, & quo altiores ſectantur diſciplinas, eo profundius ſermonem demittunt. Siue Philoſophiæ rimentur arcana, ſiue Theologiæ ſcrutentur myſteria, non ſat putant explicari, niſi barbare proferantur. Rari ſunt, qui ſcholaſtice ſtudent, & Rhetoricè loquuntur. Nobiles porro ſcientias nõ abhorrere purum probatumq; eloquium hic author oſtendit, qui diſertũ in ſcholis Theologum, & doctum ex roſtris agit oratorem. Atque in his opuſculis & ſi frequenter ludat, multum promit ſcientiam; ſeria grauiter exponit, ludicra verſat ingenioſe. Nihil hic languidum, aut molle, nihil aſperum, aut indecorum, & quod Tu potiſsimum cupis ſcire, teſtor nihil eſſe rectæ fidei contrarium, nihil bonis moribus aduerſum Ad S. Iſidori Nonis Ianuarij. MDCXLIII.

Fr. Lucas VVaddingus.

EGo D. Franciſcus Maria del Monaco Cōgregationis Clericorum Regularium Sacræ Theologiæ profeſſor legi ex commiſſione Reuerendiſs. P. Sac. Palatij Magiſtri Orationes Panegyricas Admodum R. P. F. Bonauenturæ Barron I Ordinis Minorum Strictioris Obſeruantiæ, & in Collegio S. Iſidori S. Theolog. Profeſſoris: in quibus non modo nil reperi, quod Catholicæ fidei aduerſetur, ſed omnes dignas eſſe iudico quæ publicæ luci mandentur, vt eximiæ eruditionis & pietatis lucubrationes, dignas quoquè ſuo authore, quē Roma in oculis habet, & vſque admiratur. Datum Romæ ad S. Syluestri in Monte Quirinali Idib. Decemb. 1642.

D. Franciſcus Maria del Monaco. Cler. Regul.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Pal. Apoſt.

Io. Bapt. Alterius Epiſcop. Camer. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Hiacynthus Serronius Magiſter & Soc. Reuerendiſs. P. Fr. Michaelis Mazarini Sac. Palatij Apoſt. Magiſt.

ILLV-

ILLVSTRI
S. P. Q.
CLONMELIENSI.

Magiſtratus Illuſtris

IN aduerſum eo vulgi aliorum, qui in laborum ſuorũ editu fuco opus, fraude animum obducunt; profitentur offerentes, fœnus exercent. Magnates Mæcenates adſciſcunt, quibus cum videantur addere, accipiunt. Ita ambitu perciti Heroum ac Heroidum deſcripta fortunæ velut formæ dignitate ſpecioſis nominibus operis ſui exordium quaſi vultum venuſtant. Ego alius, non ditеſcere volo, nec ſubire

debita ſed ſoluere; tua in primis (*CIVITAS NATALIS*) *quæ vt* ortus *ſic fructus* mei partem *etiam* primã vendicaſti: *alteram* parentes, *vltimam* amici: *ſua ſinguli; Tu omnia, in qua omnia poſſedi. Etenim in Tuo ſinu* patria *mihi eſt, in SENATV* parentes *fuerunt, in POPVLO* amici. *Tot titulis opellæ vnius oblationem imparẽ omnino exiſtimarem quàm minima eſt, niſi viderem parte tenus parem eſſe, quia prima; vt qui primam ex vobis lucis vſuram accepi, etiã primum ingenÿ mei partum, cum lucem aſpicit, Vos accipiatis. Si voto res reſponderit, erit Vobis quo certe debitus eo nomine charus, vt CVIQ. ſua ſapiunt, etſi aliena miratur. Leget in illo iuuen-*

Plato apud M.Cic. libr. 1. offic. cap. 7.

uentus veſtra ſtylum meum apud vos natum, ſed Romæ adultum; quomodo ipſe Latiæ eloquentiæ author Arpinas origine fuit, Romanus oratione. Leget aliquot Diuorum virtutes, Heroum bonores; meam in illos pietatem, in hos obſeruantiam, in vos affectum. Ex Collegio S. Iſidori Romano, Anno Chriſtiano MDC.XLIII.

Illuſtrium DD. V.rum

Conciuis & Seruus

F. Bonauentura Barronius.

AMI.

AMICO LECTORI.

HABES (amice lector) decadem Orationum mearum tam exactè inter Sanctos, & ſæculum bipartitam, quàm æquè olim decimæ ex æquo Principi, & Sacerdoti ceſſerunt. Ego (inſtar Euangelici ſerui, etſi inutilis magis quam ignauus,) continui eas aliquādiu quaſi totidem minas ſudario inuolutas; explicuit autem qui potuit etiam obſtanti extorquere. Vbi vides in minimo quod mireris, vt intellectus mei proles mihi conceptum, alteri debeat natiuitatem. Cæterum materias mihi non elegi vbiq; ſed admiſi, vt quamq; aut occaſio obtulit, aut neceſſitas ingeſſit, ſi-

ue celebrandi ſanctos, ſiue, ſalutandi ſuperiores. Diſtinxi autem ſacra profanis: quibus enim occurreret libellus, quot capita tot palata ſubibit non multiplicata ſolum, ſed variata: ipſæ etiam

— amant alterna Camænæ Virgil. Egl. 3.

& ego illis varia ſæpius quàm vera propinaui. Nec eo inficias tam acriter me aliorum dictionem imitatum, vt ſubinde ſim etiam mutuatus; quod ita tamen eſt digeſtum, vt nec illorum penu quidquam, nec meo nomini ſit detractum. Medium me geſſi timidis, & temerarijs, quorum illis nihil audentibus, iſti nihil non audent. Si quid ergo inter mea depoſui, quod apud alios deprehendiſſem, adiectione authoris volui vt

eſſe, ſic videri alienum: Ita, apud me exterarum regionũ; quique ſuorum

Virgil. in Palæm.

—— *inſcripti nomina regum Naſcuntur flores.*

Verſores biblorum plures translatione vbique nunquã conſilio communicãtes.

Cæterum idipſum forte ſanctius quam ſanius prouiſum: quid enim vetat idem non iiſdem videri? & ingenioſi partus plures eſſe protoparentes? Certe verſio illa Bibliorum tot edictis legitima, tot DD. vſu, tot ſæculorum celebrata, ſupra ſeptuaginta, habuit authores, ita non conſilio communicantes, vt eſſent interim domicilijs diſcreti.

Deniq; vt obſcuris diu periculoſa lux paulatim eſt tentanda, ita ego publicum iudicium volui opuſculo primùm prouocare. Quanquam in hoc genere nec ſi vellem poſ-

ſem

ſem prælum morari. *Aliud ago*; (quod aiunt,) cui etſi ego non ſufficio, ſed illud mihi. Quæ cauſa plures continuiſſe credenda eſt & noſtri, & vniuerſim monaſtici Ordinis authores, ne in huiuſmodi litteris meliorum iactura iocarentur. vt quemq; prouectum pudet paruulis colludere, & per amæna vireta licentius exilientibus etiam, cum palma præire. Sed enim expedit eſſe aliquos, qui hæc obiter attrectent, tanquam operum non varietatem, ſed interuallum; vt qui in huiuſmodi leuibus luxuriant, ſciant facile ſe alios voluntate, magis quam facultate, ſuperare: quæ ſi quibus forte remiſsior eſt, tamen deeſt magis quam deſideratur. Quod olim in Cypriani ſancti facundiſſimo ſilen-

Author hæc obiter non ex profeſſo cõpoſuit.

Cur Regulares rara edant opera humaniorum literarũ?

lentio celebrauit Auguſtinus. *Eſt tale* (inquiens) *in Epiſtola B. Cypriani, quod idem vel puto accidiſſe, vel conſulto factum eſſe, vt ſciretur à poſteris quam linguam doctrinæ Chriſtianæ ſanitas ab iſta redundantia reuocauerit. Ait ergo.* Petamus hanc „ ſedem vbi erratici palmitū „ lapſus pendulis nexibus per „ arundines baiulas repunt &c. *Qui hæc amant, profectò eos qui nō ità dicunt ſed caſtigatius eloquuntur, non poſſe ita loqui exiſtimant, nō iudicio iſta deuitare. Quapropter iſte vir ſanctus & poſſe ſe oſtendit ſic dicere quia dixit alicubi, & nolle, quoniam poſtmodū nuſquā.*

Auguſt. lib. 4. de doctr. Chriſt. cap. 14.

Cypr. epiſtol. 1. ad Donat. iuxta editionem Pamel.

PA-

PANEGYRICVS I.

DE VENVSTATE VIRGINIS DEI MATRIS.

SEMPER cenſui eorum perſtringendam temeritatem, qui ardua quæque non facultate ſua, ſed volũtate metientes ſubmittunt ſe oneribus, quibus deinde, nec ſubducere ſe poſſint niſi impoſita moles, nec ſubſiſtere, niſi ipſi frangantur. Vnde olim Sapientum ſententijs ſed & Principum poſitus eſt huiuſcemodi tumidis conatibus, Scriptoribus, quaſi ſculptoribus modus, quò cognata opera eadem amuſſi lineæ quaſi lineamenta ducerentur. Alexander Macedo I. *Adulatorum temeritas carpitur.*

Edicto vetuit ne quis ſe præter Apellem Horat. l. 2 ep. 1.
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra.

Ita magnitudini ducũt magnates, ne à minoribus deſcribantur: II.

vt cuiq;puritati eſt, nea ſpurcis aliquando, religioni, ne ab impijs contrectetur. Tamen IN DEORVM cultu nullius ſordida eſt inopia, nullius proſcripta impotentia; in quibus vt vere

Dei cultus cuiq; facilis.

Lucan. in Panegyr. Piſon.

——*magnis voluiſſe ſat eſt*,

& cui thure nō lice, tfas eſt farina, litare. neſcias vtra magis, prudētia Numini, an prouidentia, cauti admodum ne quæ parcitas ſit vmbraculum prauitati, ipſum quod accuſat, excuſet.

Plinius in Præfatione Natu. hiſtor.

III. Ego, (AA) hoc nomine animoſus, (alias territus) iam ſum auſus ſtylo meo obijcere exprimendam Virginem, in cuius forma ars inertiam ſuam admirata naturæ palmam, ſibi ludibrium dedit. Quam nec Oratorum phaleratæ panegyres, non colorum ambitioſi fuci, omnia dictionis lenocinia, (tentare voluerunt,) æquare non potuerunt. Virginem dico, Mariam, quæ quàm diuina eſt, diuinitatis non particeps duntaxat, ſed totius ferax, ita (ſpero) & conatum meum & meipſum abſoluet; alterum tenuitate, alterum temeritate: neſcientiam con-

Arduum tentare Virgini Matris exprimēdam venuſtatem

conſcientia compenſabit, teme-ritatatem religione commutabit.

Atq; vt aggrediamur intentum (AA) non expectate in huius for- IV. mæ memoria, in hoc prodigio pulchritudinis enumeranda à me mutuati ſplendoris adminicula, *Mundus* fucata medicamenta, genas ce- *muliebris* ruſſatas, ferro criſpatos crines, *Virgini* *alienus.* non tortiles nodos inexplicabilibus mæandris implicitos; non quærite, non cogitate ſtibium, murenulas, baccata monilia, pē-ſiles elenchos, totum illum mundi muliebris apparatum, qui pulchritudinem præſeferre poteſt, præſtare non poteſt. CVMVLVS crepundiorum eſt, quem illæ ſtudioſa ambitione congerunt, quæ carius volunt mentiri.

Illa eſt MARIA, cui huiuſce- V. modi adminiculis non modo opus *Etiam* non ſit, ſed nec vſuis. Cui ſi ad- *utilis.* hibeantur, additamenta erunt, ornamenta non erunt: quomodo non Solem illuſtrant faculæ circumfuſæ ſtellarum, nec Oceanus fluminibus inundat, nec ſuperus ignis adhuc ſuo ambitu extumuit, quanquam eo in dies ex nobis in-

uolent

uolent tanquam centro ſuo globi concitati flammarum.

VI. *Diuinæ Mariæ pulchritudo deſcribitur à capite ad calcẽ.* In illa formæ quædam non dignitas modò, ſed diuinitas perſtringebat aſpectus; frons pudica, verecundiæ ſedes molliter aſſurgebat, ſub arcuatis ſupercilijs geminæ oculorum faces illuſtriſſima ſydera tantum nõ orbibus ſuis affixa radiabant. Naſus venuſtiſſimè curuus caſtigatam fronti columnulam ſupponebat. Tempora quaſi areæ conſitæ tot radios quot pilos, auratam ſegetem emiſerunt. Collum, ceu argentea baſis huic auro ſuccumbens, ſuo onere dignum, ſimplicitate candoris errantem in vultus varietate aſpectum colligebat. Brachia non vt in cæteris prona, ſed ſurſum plerumque producta quaſi remigium alarum patrio ſe Cælo inferebant.

VII. Et quo iam in decliui deducar?
— *manus, thoraca, pedeſque*
qua ſtyli aut maieſtate proſequar. *Franc. Maur. l. 1 Franciſciados.*
aut modeſtia prætermittam? Sed ſteterit hic in Venere Apelles, ego in Marià procedam, quæ vndiq; ſanctius in cogitationem admittitur,

tur, quàm illa in aſpectum. Nimirum ventrem eius mentem obſeruo: quod nec vobis videbitur arduum, ſi meminiſſe lubeat in nobis ſuperiora organa ideò eſſe affabre laborata, quia ſapientiæ ſunt inſtrumenta. Et MARIA vbi niſi in vtero ſapientiam hoſpitauit? ibi Verbum caro factum concepit, inde deinde eructauit.

Quæque Mariæ organa affabre elaborata & quare?

VIII. Et quidni ventrem eius menti componerem? etiam calcem capiti æquauit, (ita nihil infimum admittit,) vertici veſtigium, quando ingenioſi aſpidis colla premens non impetus, ſed inſidias eliſit. Vt mihi videatur in hac formæ dignitate ita ſe geſſiſſe Natura, quomodo magnorum operum molitores primum in exiguis artis ſuæ periculum faciunt, quam deinde fuſius in diuite materia complectantur. Sic qui coloſſos Rhodios, qui Memphiticas pyramides æmulantur, non primo tentamini totum penu committunt, ſed vel in ligneo, vel in fictili idolo per partes explorant, quod deinde totum ære vel auro fundant.

IX. Ita paritura MARIAM grauidauit

uolent tanquam centro ſuo globi concitati flammarum.

VI. *Diuina Mariæ pulchritudo deſcribitur à capite ad calcē.*

In illa formæ quædam non dignitas modò, ſed diuinitas perſtringebat aſpectus; frons pudica, verecundiæ ſedes molliter aſſurgebat, ſub arcuatis ſupercilijs geminæ oculorum faces illuſtriſſima ſydera tantum nō orbibus ſuis affixa radiabant. Naſus venuſtiſſimè curuus castigatam fronti columnulam ſupponebat. Tempora quaſi areæ conſitæ tot radios quot pilos, auratam ſegetem emiſerunt. Collum, ceu argentea baſis huic auro ſuccumbens, ſuo onere dignum, ſimplicitate candoris errantem in vultus varietate aſpectum colligebat. Brachia non vt in cæteris prona, ſed ſurſum plerumque producta quaſi remigium alarum patrio ſe Cælo inferebant.

VII. *Franc. Maur. l. 1 Franciſciados.*

Et quo iam in decliui deducar?
—— manus, thoraca, pedeſque
qua ſtyli aut maieſtate proſequar. aut modeſtia prætermittam? Sed ſteterit hic in Venere Apelles, ego in Marià procedam, quæ vndiq; ſanctius in cogitationem admittitur,

tur, quàm illa in aſpectum. Nimirum ventrem eius mentem obſeruo: quod nec vobis videbitur arduum, ſi meminiſſe iubeat in nobis ſuperiora organa, ideò eſſe affabre laborata, quia ſapientiæ ſunt inſtrumenta. Et MARIA vbi niſi in vtero ſapientiam hoſpitauit? ibi Verbum caro factum concepit, inde deinde eructauit.

Quaque Mariæ organa affabre elaborata & quare?

VIII. Et quidni ventrem eius menti componerem? etiam calcem capiti æquauit, (ita nihil infimum admittit,) vertici veſtigium, quando ingenioſi aſpidis colla premens non impetus, ſed inſidias eliſit. Vt mihi videatur in hac formæ dignitate ita ſe geſſiſſe Natura, quomodo magnorum operum molitores primum in exiguis artis ſuæ periculum faciunt, quam deinde fuſius in diuite materia complectantur. Sic qui coloſſos Rhodios, qui Memphiticas pyramides æmulantur, non primo tentamini totum penu committunt, ſed vel in ligneo, vel in fictili idolo per partes explorant, quod deinde totum ære vel auro fundant.

IX. Ita paritura MARIAM grauidauit

Natura laborauit in forma Virginis. dauit ſe dudum ante Natura, quinquaginta ſæculis huic partui præluſit, ſingulas interim dotes alijs ingenioſe partita, quaſi per partes periculum ſuæ artis actura, quam deinde in MARIAM ſine periculo cumularet. Voluantur annales, Sacri, profani, vbique occurreret auſpicium MARIÆ, cui ſingulæ illæ ſingulares dotes, quaſi partita inſignia in triumpho prætulerunt.

X. Soror erat Lia Rachaelis, geminæ germanæ, quas idem vterus vni viro præparauit parco patrimonio, quando duo dona duabus vt poſſet dare, debuit diuidere. Rachael ſiquidem verè vultu valuit, ſed vtero laborauit, ſponſæ aptior, quàm vxori, Virgini quàm Matri. Vbi admirari voles ingenioſè œconomam Naturam, namq; ne qua forte ſororum indotata decederet, quà Rachael pulchrior, ibi Lia fœcundior. Ergo vtraq; damnata eſt, vtraq; dotata, altera pulchritudine, altera prole.

Rachel pulchrior Lia facũdior.

Gen. 29 & 30.

XI. Pergamus. Iudith fateor ad miraculum ſpecioſam; ſed vt oculos bar-

Iudit. 8.

barbari caperet, eguit additamentis. Ita ſi alias dotes alias heroidas enumeres, inuenies Naturam multis matrem fuiſſe, pluribus nouercam: Et ſi cui illa forte tota indulſit, tamen fortuna inuidit, quam iniquo Marte luctata virtus ipſa deſiderauit. Adhibeamus ad fortuita gentiles & audiamus in Lucretiæ ſuæ laudum, luxuriantē Maximi Valerij facundiam. Dux Romanæ pudicitiæ Lucretia, cuius virilis animus errore fortunę fæmineum corpus ſortitus eſt, ea aſpectus maieſtate diues vt nō forma ſolum, ſed famâ ſua captiuarit animum regij Tarquinij iam tum Ardeam captiuantis. Et tamen licet proprij ſceleris pura, alieno fuit obnoxia; quanquam enim non commiſit, tamen admiſit adulterium.

Iudith ad miraculū pulchra, non ad ſufficientiam.

XII. Valer. Max. lib. 6. cap. 1.

Tit. Liu. dec. 1. l. 1

XIII. Iam ſi placet è Latio in Græciā transfretare, ibi Helenam offendemus apud Iſocratem, totis laſciuientis ingenij viribus decantatam. Helenam illam formæ miraculum, pretium imperij pulchritudinem, & tamen quia ditior erat pulchritudine quàm pudicitia

Helenæ preti oſa pulchritu do.

ſi credimus æmulæ eius, non ſolũ rapta eſt,

Ouid. Epiſto la Oenon. Parid.

—— *præbuit ipſa rapi.*

Ita alias percurrendo videbis omnibus nihil defuiſſe, ſingulis nonnihil; ſic diſpenſante natura vt quæq; alteri inuidere poſſet, paucæ vni, omnes nulli.

XVI. At vero Mariam ita non ex pluribus, ſed præ omnibus æſtimauit, vt quaſi retractis copijs, & ſigno receptui dato omnia in vnam contulerit, quæ in humanitatem cadere potuiſſent. Ita nihil ei defuit, quod natura dare, fœmina potuit accipere. Non illi vnius dotis vigor, alterius immi. nuit, quin potius irritauit excellentiam, dum omnes ambitioſa contentione aſpirarunt in societatem eius, auidæ & certæ non tam conferre quàm referre ornamentum. Nihil in illa venuſtas pudori detraxit, nihil pudor venuſtati, non grauitas ſimplicitati, non ſimplicitas rigori, nec fæcunditas caſtitati, nec caſtitas proli

Dotes alias diſcordes in Mariam conuenerunt.

XV. Mirari(ſcio AA.)multũ voletis, ſatis non poteſtis, nemo eſt enim

qui

qui neſcit quam non poëtice Poëta ille, Chriſtianorum Maro, Sedulius noſtras decantauit: *Sedulius Hybernus.*

Partus & integritas diſcordia.

Et ante illum alius : *Ouid ep. Parid. ad Helen.*

Lis eſt cũ forma magna pudicitiæ

Nimirum illa viſa nocet non viſu, vel ſi forte, non ſibi vtique, ſed vidéti. Quod accurate obtexit fabuloſa antiquitas illo Cupidinis dolo, quem amoris Deũ, formoſum, ſed cæcum expreſſit; ſigno dato quod vt ametur forma non videre volet, ſed videri, quando ille amorum Pater quoſuis etſi captus oculis capiebat. Ergo certiſſimè litem facit pulchritudo pudori. adeo vt victrix ſit formæ pudicitia multo interuallo, iniqua bilance debet eſſe ſuperior.

XVI. *Cur Cupido antiquis cæcus?*

Species inimica pudori.

XVII.

Et quid iam de Mariana putatis? aut qualis eſſe debet forma illa, quæ alienam non pudicitiam ſed impudentiam expugnet? Illa, illa Mariæ eſt pudica forma, formoſa pudicitia, in qua etiam lenociniũ vitij facta eſt illecebra caſtitatis. pudica forma, quæ omnes in ſui admirationem verterit, plurimos in amorem, neminem in concu-

Aſpectus Virginis expugnabat aſpicientium impudicitiam.

piſcentiam. Famoſa pudicitia, quæ noxio toxico vſa eſt ad ſobrietatem,& beata metamorphoſi, materiam libidinis tranſtulit in fomitem caſtitatis.

XVIII. Audiamus ſpeciem Marianam apud Eccleſiaſticum (vt orationẽ aliquando ſacris aſpergamus), audiamus & ſtupeamus. [Ego, (inquit,) mater pulcrę dilectionis.] Vi-

Eccl. c. 24 des victricẽ concupiſcentiæ charitatem. vides pudicam formam, audis formoſam pudicitiam. Sed non ſatis, adiungit: [Quaſi cedrus

Ibidem. exaltata ſum in Libano]. Maneat Veneri myrthus ſua, ſua Palladi oliua, maneat auricomus ramus

Virgil. 6. Æneid. *Iunoni infernæ dictus ſacer*:
Cedat cedrus Mariæ; de qua naturales tradunt, ſiue odore ſiue aſpectu, viperea genimina, animalcula toxicata extinguit. & hæc cedrus Libani Maria non animalia venenata, ſed animata venena reſtinguit: carnis æſtum intelligo & petulantem ſenſus pruriẽtis appetitum, quibus obiecta Virgine non magis quam paruulis apud pædagogum liceret eſſe laſciuis. At non perinde

XIX. crede-

credetis quomodo non pudor venuſtati, ſic nec Virginitas fæcunditati detraxit. Scio partum Mariæ dabitis; & iam integraſtis, quod ego interrupi.

Partus & integritas diſcordia tempore longo Sedulius ſupra.
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Partum conceditis, fæcunditatē dubitatis: & ſine ſcrupulo, iſtud enim fidei eſt, hoc fauoris: ſed fauor hic fides eſt, fauebitis niſi diffidatis. Repetamus Eccleſiaſticum, quem non immerito Marianum Secretarium appellem, ita cum de ipſa, ſimul pro ipſa ſcribit. [Tranſite, (inquit,) ad me omnes, & à generationibus meis implemini.] & quid generationes faciunt aliud quàm fæcunditatem? aut quomodo impletura eſt quæ nondum impleta? Ita eſt, ſed tranſite ad eam, & à generationibus eius implebimini. At inquies, vbi plenitudo? Semel concepit de Spiritu, & peperit in Bethlehē filium ſuum primogenitum, addo etiam vnigenitum. & vbi generationes? Sed fideiubeo pro Maria,

Maria non ſolū mater, ſed fæcunda.

cap. 24. n. 26.

Luc. 2.

tranſite ad eam omnes, & imple-
bimini. Nimirum illius generatio
XX. non numeranda ſed æſtimanda
eſt; hic non Arithmetica ſed Iu-
diciaria eſt vſus. Filius eius vni-
Vnus Chriſtus matri ſua inſtar multorũ. tus, ſed Chriſtus eſt; ſemel geni-
cus, ſed ſemper futurus; Succeſ-
ſionem immortalitate commu-
tauit, multitudinem maieſtate
compenſauit. niſi forte intereſſe
putetis vt nomina numerentur,
quaſi virtus diſperſa præponde-
ret, quæ in vnum potius coacta
conualeſcit. Certe Cornelia illa
Seneca in Conſol. Helu. cap. 16. Scipionis, inter Populi Romani
matronas fæcũditate proceſſit, nõ
quia multos, ſed quia Gracchos
generauit: vſque adeo NON
NVMERVS pretium rebus fa-
cit, ſed virtus quæ multitudinem
ſolitudine ſua reddit, etiam exce-
dit.

Et vbi matrum Mariam reponemus?
Cantic. cap. 7. [Vẽter eius ſicut aceruus tri-
tici] vno partu multo pignora ef-
fudit. adeo ei quod aſſumpſi (Au-
ditores) virtutes non inuiderunt
conſortiũ, nec vnius vigor alterius
excellentiæ detraxit, non pudor
venuſtati, non virginitas fæcũdi-
tati.

tati. Inter venuſtas pudore prominuit, inter pudicas venuſtate, ſuper omnes maieſtate. pudicis in exemplum tranſiuit, venuſtis in admirationem, Virginibus in æmulationem, Matribus in miraculum. Nihil in eam natura, non fortuna peccauit, quæ quamuis temeraria, non eſt auſa in tam ſacra ſtatione iocari; ita nec propria conſcientia, nec aliena violentia laborauit.

XXI. *Virtutũ conſenſus in Virginis ornamentum.*

hic perfida fixit
Præcipitem fortuna gradum

Georg. Bucan.

& ibi ius abuſus ſe didicit amiſiſſe, vbi minimũ ſe meminit contuliſſe. Neque enim eripere quis poteſt niſi ſua; nec mutari poſſunt niſi fluxa, nec amitti niſi fortuita. quæ quam parce Maria non modo appetiit, ſed admiſit; intelliget quiſquis eam audit pro diuerſorio ſpelunca receptam, pro agniculo turture inſtructam; paruulum in ſtabulo parientem, in templo auicula redimentem: & ſtatim à tam diuo puerperio patria fugitiuam, in montibus peregrinam, iumento vectam, prole onuſtam, eiuſdem infantuli a-

XXII. *Virgo Maria minimũ fortunæ debuit.*

Luc. 3.

luminam & matrem.

XXIII. Nico l. Chauſ. Et omnino mihi lentiùs cogitanti videtur ſummus ille artifex Deus in hac Virgine ornanda, „ ſeipſo vſus exemplari, meliori „ pollice in opus incubuiſſe,& deli- „ catiſſimis induſtriæ lenociniſs in „ hac ſui imagine luxuriaſſe,vt in „ humanarũ rerum arce infrà ipſum eſſet quod proponeret omnibus admirandum, nemini exſpectandum. Ita etenim accurati ſculptores delicatiorem imaginem ſuæ artis argumentum dolaturi, ſtatuunt ſibi in primis quo poſſunt pretio materiam,ſiue Parium marmor, ſiue trabes cedrinas, ſiue affuſuram operi lucem maſſam obryzi metalli,vnde aliquas deinde partes exſculpunt. quæ diſcrimini lineamentorum ſint obex; alias retinent, quibus vix poteſt plena figura,ne vix ſpecioſa vacare. Ita vtique Deus quaſi dolabro

Virgo expoſita Mundo in miraculum,

XXIV. hoc ſui ſpecioſum idolum fabrefecit;auream materiam, regiam familiam elegit, ex qua deinde fortunas abſcidit, nobilitatem reſeruauit. Regia erit origine Maria, Regibus oriunda, à Dauid ad Ie-

Dexteritas Dei artificis informāda Virgine.

XXV. *Virginis nobilitas ſumma: & conſtans.*

Iechoniam vſque, quot proauos tot principes numerauit, quorum toties multiplicatam maieſtatem ipſa ad faſtigium admiſit, etſi ad faſtum recuſauit. Alia huius materiæ regiæ dignitatis ſegmenta, opum affluentiam; numerum miniſtrorum, veſtium apparatum, luxum deliciarum, tanquam diuinitati exprimendæ ſuperuacanea repulit auerſata; nulla macula, multo decore; quodam ductu ambitioſæ humilitatis. Nimirum hæc OBNOXIA ſorti additamenta, tum præcipue adſunt ad ornatum, quando deſunt ad pompam: & vel maxime euehunt ſe faſtidientem, cum ea quaſi ſubtus diſpoſi-

XXVI. *Pulchrã contemnere fortuita.*

» tos gradus victor animus calca-
» ta ſubiecit. Ita Mariana pulchritu-
» do vndique plena etiam iis coaleſcit quæ ei defuerunt, ipſa eorum egeſtate opulenta; quomodo AVARVS non minus habitis eget quàm acquirendis; & ſtatuam tam integrant ſegmenta quæ perdidit, quam quæ reſeruauit.

Boetius ad Symmachum.

DIXI.

PANEGYRICVS SECVNDVS.

HABITVS IN COLLEGIO S. ISIDORI ROMANO

Eminentiſsimo Card.

ANTONIO BARBERINO

Hyberniæ Protectori,

Cum eiuſdem Collegii Patribus conuiueret.

I. *Magnates ſua amplitudine arctantur.*

SÆPIVS accepimus Principes de ſuo principatu conqueſtos, dignanter indignatos ab inferiorum ſe communione faſtigio ſuo arceri. Hinc illa ipſorũ maior ſua veritate cõfeſſio MAGNITVDINIS ſeruitus eſt, nõ poſſe fieri minorem. In qua tam auguſta lucta humanitatis & maieſtatis, viris maximis ſolis propria, omnibus digna, ipſi qui vicerãt acie ceciderũt, palma vincenti prærepta eſt, eiuſdem vnius dignatione vincente dignitatem.

Nobile duellum magnitudinis & comitatis

II. *Digna Cardin. humanitas.*

Quo maior Tibi hodie ſurgit ſeges laudis (Antoni Cardinalis) ab-

qui Eminentiæ Tuæ altitudine non abhorres ab humilitate, nec faſtigio tuo faſtidis inferiores, maximis quibuſque dignitate ſuppar, dignatione ſuperior, ipſam aliorum Principum feciſti Tibi ſeruire ſeruitutem. Oſtendis ſiquidem hodierno ſtratagemate, ſingulari exemplo magnitudinem poſſe fieri minorem, quando Tu tota amplitudine infra Te deſcendiſti, numerum ſupplicum tuorum auges, aggregatus inter tuos vere MINORES.

III. Et verò NIHIL Principe dignius quàm huiuſcemodi dignatio, qua altitudinē ſuam ſic inclinat, vt ſuis non tam ſupereſſe gaudeat, quàm intereſſe ſuſtineat, par magis quàm ſuperior. Teſtati id tabulis ſuis olim Athenienſes, quibus cauerunt ne quis eorum magiſtratus proprio nomine leges ferret, ſed communi; nec mando, inquiat, ſed, mandamus. Quod aut ipſos docuit, aut ipſe didicit, certe exercuit Hebræus Eccleſiaſtes, qui perfunctus longo magiſterio, parabolis, prouerbijs, paradoxis, conſilijs concilio factis epilogum

Manz. Cat. *Athenienſiū legitima delegibus ferendis.*

B 6 anne-

annexuit: [Finem loquendi pari-
Eccl.12. ter omnes audiamus]: vbi (vides)
vt impetraret audientiam annu-
merauit ſe auditorio. Vſque adeo
IV. COMMVNICATIO imperij in-
uitat obedientiam: & quiſque
libentius iugum ducit, quod non
ferre tantum, ſed inferre ſibi vi-
deatur. Atque, V T QVÆQVE
Lucan. lib. 1. Pharſal. poteſtas eſt impatiens conſortis,
ita cuiuſq; ſors eſt auida poteſta-
tis, quam in Superiorum acceſſu
aſſequutos ſe ſubditi arbitrantur;
Conſortiũ principis participium principatus. ita CONSORTIVM Principis eſt
participium principatus.

Huic Ethicæ & vtrique Aca-
demiæ Græcis pariter & Hebræis,
V. prudentibus & Principibus Tu
Cardin. An. cum prudẽtia laude altitudinẽ humilitate temperauit. hodie feciſti omnibus ſatis, imò
fixiſti plus ſatis; tota magnitudine
factus minor, non amiſſa tamen
Eminentia, nec detracta magni-
tudine ſed contracta: adeo quod
alijs ſtat in voto, Tibi eſt in vir-
tute. Ita ego Te hodie præſen-
tem habeo, ambio, amplector.
nec tantum conuenire tibi fas eſt,
ſed conuiuere, & affari Te tuos
non modo Te ipſo, ſed illis quo-
dammodo minorem, apud quos
hoſpi-

hoſpitem agis, & videris accipere quod præbes, optimæ voluntatis maximo argumento.

VI.

Enimvero vbique temporum & nationum, conuictus conſcientiam prodebat, nec vſpiam ad tabulæ delicias niſi dilecti admittebantur, vt vel ſolum menſæ indultum delictorum eſſet indulgẽtia, cùm nequaquam ei quiſquam conuiueret, cui nequaquam conueniret. Hoc homines non apud ſe tantum, ſed apud ipſos ſuperi obſeruabant. Etenim vt omittam ſuperſtitioſæ gentilitatis obuiam ſæpius quàm inuocatam deitatẽ, Deus Iſraël in anteriori Eccleſia Sinagogæ cultoribus placatum ſe ſacrificio deuorato ſignificabat. Sic in Regum annalibus Elia, in Paralipomenon litante Salomone cæli altaribus accenſum ignẽ auidè deſtinarunt, quaſi Dei vicarium quem illa abſumptrix edulij flamma conuiuam præſentabat.

Cõuictus character amoris.

3. Reg. 18
2. Paral. 7.

Quid præferebat flamma, quæ vorabat ſacrificia?

VII.

Et nunc noui teſtamenti hæredibus cùm ſine ſymbolis ſtatuiſſet Deus monſtrare, quaſi ruptis repagulis, maiorem charitatem, quam (abs ipſo) nemo habet; non

non tantum conuiuam ſe fecit, ſed conuiuium. Quod ergo Te decuit argumentum tam auguſti amoris, niſi quod iam celebras conuiuium magnificentiâ regia, ſtratagemate Chriſtiano, exemplo Diuino?

VIII. *Plutarc. Apoph. Rom.* Paulus Æmilius huius Vrbis olim dux copiarum, pronunciauit digna eo iudice ſententia, Non minus eſſe ducis ordinare aciem, quam inſtruere conuiuium. Tu ergo, qui Dux, qui Protector noſter es, & intendis aciem in Patriæ noſtræ peruerſores, ſuperfuit tantum vt ageres quod agis, & eos in otio haberes, quos in acie adhibuiſti.

IX. *Orator humilis in encomiis Eminentiſſimi.* Sed quid interim ago? fimbriam tuæ veſtis attingo, purpuram tuã quà terram tangit attrecto, dum non quantus Te demiſiſti, ſed quãtũ te demiſeris admiror. At enim fas erat oratorem ad apicem vſque aſpirare, & inde perpendiculum demittere; nec terminum tantum attendere, ſed ſpacium, vt Eminentia officij commendet humilitatem obſequij, quæ magna nequit eſſe niſi in Magnatibus, cùm nemo deſcendere poſſit niſi

ex

ex alto. Ipſum ergo argumentum arguit me erroris, etſi nondum admiſſi, iam ſaltem imminentis, ſi in tanta dignatione taceam dignitatem ingrato ſilentio prætervectus naturæ tuæ ornamenta, fortunæ amplitudinem, eminentiam honoris; fructum operum, famam meritorum; quæ omnia tanquam heptapolis de Homero in te certant pertinaci pugna, dubia victoria; & interim tuis laudibus egregie militant, dum earum ſingulare certamen tibi integrat communem triumphum.

Ornamēta naturæ. Item fortunæ, quam abundens in Card.

X.

Certe ſi naturæ debemus ortus nobilitatem, pauci Te magis obnoxij; ſi virtuti, nemo ſic liber; ſi ſorti; nemo plus ſortitus; vtpote qui opus non habes aut annorum tractibus, aut annalium monumentis ad colligendum hinc inde ſparſi ſanguinis puritatem. Totum prope tenes: tot purpuratos Principes, alios excellentia, alios eminentia illuſtres; qua Eccleſiaſticæ militiæ, qua politico regimini; alios Vrbi, plures Orbi Præfectos; nec vllum facies finem tam fælicis luſtri, dum non illum cenſeas.

Nobilitas Barberina ſingularis.

qui

qui omnia complexus nullibi poteſt cenſeri, optimum patruum, maximum Pōtificem VRBANVM VIII. qui cùm ſuper omnes familias ſit, intra tuam eſt. Itaque alios fuiſſe nobiles dicam, Te eſſe, non rigidas imagines ſed ſpirantes proceres numerantem.

Vrban. 8 Pont. opt. Max. Barberinus.

XI. Et vero hæc ego ita volo eſſe vera, vt ſi in quo deficerēt nil tibi deeſſet, cuius ſplēdor ita hæc admittit, vt nō exigat, nec ſupponit, ſed trahit ſequentia, generoſi operibus magis quam apibus, nec tam ſanguine quàm ſudore. Ita vtique ſentio, & ſententiam diuinitus deduxi, ſi recte didici Euangelium ordiri, [Liber generationis IESV Chriſti]: librum audio & de generatione, deſcriptum, cum tamen illius minimum generi, totus operi impendatur.

Potior nobilitas operibus acquiritur.

Matth. cap. 1.

XII. Ego ergo in tuis laudibus texam originis tuæ ſeriem, & in oratione deſcribam hiſtoriam, quam ipſe prior deſcripſiſti eloquentiſſimo operum ſtylo in gloriæ laminis characteribus immortalitatis. Enim vero (Eminentiſſime Princeps) ſciri magnificētiam

tuam

tuam eſt ſentiri,nec tam in homi. *Communia Cardinalis benefacta*
num ſenſus quam in ſinus incurris.
Tibi debent opem inopes, opes opulenti, ſpem oppreſſi, tuti ſecuritatem, clauſtra virgines, dotem coniugatæ. Aula tua Baſilica eſt, in qua lenocinante ordine variantur diuerſa, redeunt interrupta, delectant tempeſtiua. Ibi (vt olim in Theodorici Regia) fluunt omnia elegantia Græca, abundantia Itala, publica pompa, priuata diligentia, XIII. Sidon. Apol. lib. 10. Ep. 2.
„ munificentia Eccleſiaſtica, regia
„ diſciplina. Aula illa ſchola
„ eſt, vbi ad Platonis amuſſim diſpenſantur vota Deo, fauores aulicis, beneuolentia amicis, venia reis, tempus negotijs, ſecreta priuatis. Demum ærarium eſt, in qua paſſim pauperes alieno ære liberãtur, nec grauantur tuo a quo miſeri omnes accedunt, nemo abſiſtit. Enimvero eo videre eſt.

Aſſiduos intrare inopes, remeare beatos Claud. in Panag. Probi.
Princeps illa manus fluuios ſuperauit Iberos
Aurea dona vomens

Vt

XIV. Vt quomodo apud Senecam Liuia Auguſta Druſi interitû Tyberij virtute reparabat; ita in Te Sacrum Collegium, cuius manca plurium mortalitate Eminentia, cum ſibi deſit Tibi adeſt; vt in il-" lo acerbo & gentibus defleto " funere nihil ſibi niſi numerum " ſentiat deeſſe, magnificentia compenſante paucitatem.

Senec. Conſol. Mar. c. 4.

XV. Hinc illa quà te adorantium, quà admirantium multitudo, dum omnibus tua munera occurrunt; & quomodo medicina ægris eſt " in vſu, ſanis in honore: ita tua " munificentia priuatis eſt vſui, Principibus exemplo. Quot illius per Vrbem ſimul & Orbem ſparſa monumenta? quot fabricæ alibi reſtitutæ, alias erectæ? quæ illæ & quales, quarum parietes, quarum poſtes lambunt apes tuæ? Taceat iam deinde Barbaries tumidæ vanitatis ſuæ iactata portenta, Memphytici Pyramides, Rhodij Coloſſos, Babylonij mœnia, & in Cares Regina Reginæ æmula, quæ muris monumentum oppoſuit, & quæcunque alibi iniquo pondere terram preſſerunt, fama

Sen. de Clem. l. 1. cap. 2.

ma infamiam acceperunt. Tua, liberalitas Superiorum corrigit li- XVI. centiam; Deo baſilicas ſtruit, Diuis aras, Monachis monaſteria, clauſtra recluſis. Deus bone, quale illud tectum, quam, auguſtum, immenſum, ingens, vel ſolum Mariam ſupra Mineruam collocauit, iam cælo vicinus apex vbi moles ſuſpendit miraculum, & magnitudo operis certat Sacramento pietatis; vt quaſi hæreditarium tibi vendicaueris agnomen anterioris & minoris Antonij PIVS AVGVSTVS.

Munificētia Cardinalis in fabritiis religioſa.

XVII. Et vero licet auguſtus non poteras eſſe niſi in apertis, pius tamen voluiſti magis eſſe in priuatis, quæ per cuniculos à Te digeſta nec latentes poterant latere. Illa ego ſuis tenebris permitto, & tecum patiar latere ſilentio quaſi ſepulchro inuoluta: hoc tamen, adſcripto, quia HIC IACENT, nec deſunt, ſed ſubſunt, quæ vt ſint tuta volunt eſſe tacita. Nimirum in his eſt tibi theſaurus, quem, (noſti) qui ſecreto eximit, periculo exponit, proditor prædam facit. Et quomodo olim, lucifu- gum

Priuatæ eleemoſynæ einſdē

Sap. 16. v. 27.

gum manna Solis radio ictum in auitum rorem degenerabat, ita hæc publica cognitione non produntur tantum, ſed pereunt.

XVIII. In huiuſcemodi ergo placet imitari, quod colimus, vt tacita taceamus, & materiam laudis vertamus in ſilentij argumentum, contenti ea proſequi, quibus omnes es proſecutus, Mirotechium, Pharmacopolium illud tam vniuerſis commune quam eſt, aura viuis, terra calcantibus, mare merſis, littus eiectis: Tam inſtru- *Hieron. in Fabiol.* ctum, vt morbos in miſerorum oblectamenta mutarit, & iam ſani languentibus inuiderent. Tam deniq; abundans, vt quum inde omnes hauriant, nec ab omnibus exhauriatur.

XIX. *Cardinales Franciſcus, & Antonius Barberini germani pharmacopolium pauperibus conſtituunt.* Et has Tu aquas, hæc flumina cum fratre tuo Fráciſco velut Iordani communicaſti, vt vno alueo fluerunt, quæ ad impertiendam ſanitatem nil niſi ſocietatem expectabant. Ita Tu cum germano tuo diuiſiſtis inter vos non egeſtate ſed maieſtate hoc emporium, vnde tanquam ex Copiæ cornu hauriantur inexhauſta remedia:

ne

ne quid diſpar Roma deberet eorum vni, quos natura geminos, honor ſimiles, fortuna fecit æquales. Ita enim quaſi ſimul Conſules, pares Aquilas habetis, eaſdem Apes, germanos Ordines gubernatis, gemina regna, pares prouincias, proximas religiones. Vbique idem oſtrũm geritis, æqua officia; prorſus velut duo illi Iſacidæ vno partu effuſi alter alterius plantam prehendiſtis, vt iretis æquis paſſibus ad eaſdem dignitates. Vnus Hiberniæ, Angliæ alter Protector, Scotiæ vterq; ſed minor maioris, vt quot in Oceano " illo ſunt regna, tot in familia " veſtra ſunt trophæa.

Gen. c. 25 v. 26.

Cardinalis Antonij Hyberniæ Protector.

Pacat. Theodoſ. Auguſt.

XX.

Sed hoc ijs inſulis dicitur quas ab hoc continenti (proh dolor) torrens tempeſtatis auulſit; quæ in circumfuſo mari naufragæ tot Romanæ charitati ſuſpendũnt cõuerſionis ſuæ trophæa, quot ipſæ Romanæ fidei fecerunt irritamenta. Tua eſt Hibernia, quæ nec inter fluctus fluctuauit, & iactata tempeſtate non fecit iacturam, fidem ſeruauit, etſi fortunas dimiſit, quas tanquam ſpolia ſæuienti

Hybernia à fide ſemel ſuſcepta nunquam deſciuit.

adul-

adulteræ fugitiua dimiſit, illi in teſtimonium, cæteris in exemplū. Hæc eſt lucifera Pharos, quæ circumquaq; natantibus facem prætendit. Hæ huius Oceani Cyclades, quæ adiacentes illuſtrant, impetentes allidunt; ipſa omni aduerſitate ſuperior; non ſolum poſt flagella, ſed per flagella conſtantior.

XXI. Hæc tibi deſponſata prouincia,
Pſal. 128. hæc [Vxor tua vere ſicut vitis abūdans in lateribus domus,] quæ putata germinat, & ſucciſa ſuccreſcit: quam qui ſe credit metere, audet plantare. Ea denique tua
Virgil. Georgic. eſt Colonia:

Tibi ſubditur vltima Thule,

quæ nec faſces Imperij ſuſtinuit, vt iam ſegnius Romanæ Aquilæ quam Barberinæ apes aduolarint.

XXII. Quanquam quid ego hæc memorem, aut tibi terram aliquam adſcribam, qui totam occupaſti; qui in omnes agmen agis Sacræ Congregationis Fidei propagandæ Præfectus per omnes gentes; quarum primitias iam vidiſti Sanctiſsimo Patruo tuo deferri quando Cōgi Regnum deſtinato Oratore

in

in primis Illuſtriſſimo Marchione Antonio Nigrita; tum Ioanne Baptiſta Viues, & ad illius pedes proſtrato, illud de ſe triumphum celebrauit. Cætera ſuccreſcent, quorum etſi nondum commiſſa ſint prælia, vobis tamen quædam eſt parta victoria; quorum ſpolia ipſo nomine circumfertis vtique diuina ordinatione à reducendis Barbaris dicti BARBERINI, præſagio magis quam exemplo. Certe Scipio ille Pænos prius durus debellator attriuit quam proinde audiret AFRICANVS: nec alter Aſiam ſuis titulis prius aggregauit quam victorijs. Abraham tamen quia à Deo vocatus Pater multarum gentium, tantæ prolis ſuo titulo circumtulit patrimonium priuſquam vel hæredē ſibi ſuſtuliſſet.

Barberini nomē quid portēdat.

XXIII.

Et Tu quidem publicam perſonam cũ purpura induiſti, vel poſt eam, quam tamen ſine illa poteras ſuſtinere, vtpote ipſi prius aptus quam admotus, prius dignus quam donatus honore: Magnitudo animi tui etiam in minimis nõ parua, in ludicris ſeria, in dubijs in-

XXIV.

ingenioſa, in arduis valida, in anguſta auguſta, aliò te non deſtinabat. Certe illa oris tui maieſtas infra ſummum non debuit iacere, vt nec gemma ſedet aptè extra aurum. De Zara illo Iudæ ſecundogenito etſi primo-generando, in diuina Geneſi narratur, quia in effuſione infantis [obſtetrix ligauit coccinum in manu eius] in quò vitę tuæ vaticinium video præceſſiſſe. Enimuero obſtetrix tua, & quiſquis te naſcentem excepit, natum excoluit, ligauit coccinum in manu tua, Purpuræ Te præparauit; mores tuos hoc murice imbuit, pugno tuo coccum indidit, quod articulis premeres; vt oſtrũ in manu prius haberes quam in amictu, prius in opere quam in honore.

Cardinalis Antonij indoles ad omnia.

Gen. 38.

XXV. Et vero videtur hìc diuina ſapientia approbaſſe illud Græcæ Ethicæ effatum, Hominẽ homini dæmoneeſſe ſeu fatũ, & Quemq; eſſe ſuæ fortunæ figulum. Ita tuam fortunam à Te voluit fieri fortunatam. Collimauit ſiquidem ad hunc ſcopum vitæ tuæ curſus non tam annis quam coronis diſtinctus, qui

Pigh. Caſſan. præf. pat. Ann.

vt

vt hunc Tibi terminum ſtatuit, ita non hic te deſtituit, neque ibi finem agendi dedit, ſed materiam, vt iam plus velles de omnibus mereri, qui ante poteras minus. Ergo in eminentia dignitatis Bononiam Legatus proceſſiſti, Auenionem accepiſti; in quibus quæ præſtitiſti dicere poſſet qui valeret facere, credere qui meruit videre. Illa ego impotentiæ meæ confeſſione magis quàm conatu efferam, facundo ſilentio celebrabo.

Eius munia cum purpura geſta.

XXVI Concludam non vt alijs mos eſt monitis, ſed memoria; nec exteris Te exemplis incitabo, ſed tuis, obiecto Tibi te ipſo, qui in hac ſcena virtutum & actor es & auditor. Certe Sextus ille apud Senecam iratis in æſtu ſpeculum opponi voluit, vt accerſerét quod abiecerunt; quanto magis placidis vt parta tenerent, Tibi vt concupiſcas decorem tuum? Et quoniam creſcere non poteſt virtus tua iam adepta faſtigium, Tibi deſperatum in tuis ſperet incrementum: quod ita tibi abſit, vt tamen appareat, non errore, ſed exem-

lib. 2. de Ira. c 36.

plo: Sic Sol, vbi diurni curriculi meditullium meridiano metitur, terris illabitur; quibus tamen etiã cùm imminet, abeſt tantumdem quam meridie; ſemper ambiens, nunquam accedens. Ita Tu (Eminentiſſime Princeps) agens quod agis Tui ipſius imago, oſtendes iteratis acceſſibus magnitudinem poſſe fieri, ſaltem videri minorem non occaſu ſed ambitu, non tuo damno etſi tuorum lucro, quomodo verè vmbræ aſpirant, etſi Sol non item inclinetur.

Dignus Cardinale acceſſus ad ſuos in S. Iſidoro.

XXVII. Et quoniam Italia impar aliàs erat virtuti tuæ theatrum, niſi in Galliarum protectione Alpes, in Hiberniæ Oceanum tranſmiſiſſes, ſit tibi cordi quæ eſt nunc curæ. Nollem minus tibi debeat commiſſa tibi regio quàm religio, in qua tibi deuincies omnes religiones. Illam & in acie & in ocio defendas:

.....nam quanquam bella quierunt,
Non periit virtus; iuuat exercere togata
Munera militiæ;

Lucan. in Panag. Piſ.

vt authoritate pariter & exemplo addas omni illius ordini quod op-

tat

tat, ſacro ſecuritatem, policito felicitatem: afflictis præſtes auxilium, labentibus fulcrum, languidis vigorem, ſqualentibus ornatum, obſcuris nitorem, vetuſtis nouitatem, nouis autoritatem, turbidis pacem, confuſis ordinē, laxis diſciplinam.

XXVIII. Dabis omnibus id Te æſtimare quod es, vt etiam qui neſciunt diſcant te in hac Hiberniæ protectura, beatis Manibus Caroli Borromæi ſuccedere, cuius in eam immortalia merita aſſeruerunt eum meritæ immortalitati. Ita fiet vt titulo operum vendices Tibi tot nominibus hæreditarium, Antonio cognomen PII AVGVSTI, oſtendens in nobis quid ſumma pietas poſſit cum ſumma fortuna.

S. Carolus Borromaus Hybern. protector Cardinalis.

DIXI.

PANEGYRICVS TERTIVS.

DE S. PATRITIO Hyberniæ Apoſtolo.

I. SI quæ vſpiam Patriarchæ noſtri Patricij par meritis facundia poſſet inueniri, (Auditores nobilitate illuſtres, religione felices) non fuiſſem auſus de eo ego hac dicendi tenuitate, aut infantia potius perorare; quin imo trepidus formidarem, ne orationis humilitate ſeu rudi penicillo abuſus, pulchrum turpiter exprimendo, laudatiſſimi nominis memoria vbique Orbis glorioſum ſegniùs efferendo infamarem. Sed enim ſcio ipſius Beatiſſimi Patris tot eſſe laudum præconia, tot meritorum ornamenta, vt omnem, quæ diuina minor eſt, eloquentiam ſic ſuperet vt opprimat, ſic excedat, vt effugiat, ſic denique occupare poſſit, vt nulla tantum dixiſſe ſufficiat, quantum præ-

Religio perorandi de Sãcto Patritio.

Difficultas eũ celebrandi.

prætermiſiſſe cogatur, & ipſe ſi laudatorem velit admittere, imparem debeat ſuſtinere.

II. Quod ſi (vt eſt vtique) ſit certum, & oratorem quempiam (quod facit certiſſime) excuſet, me vtique ab omni ſuſpicione vindicabit, ſi illum prædicare aggrediar, qui beneficio veritatis, fidei me donauit acceſſu; qui cōmunione Euangelij, religionis me deuinxit exordio; vt ſi ſine temeritate auſim de eo dicere, non poſſim ſine ingratitudine tacere. Quarum ne cuiuſquam merito arguar, ſic de eo dicere incipiam vt vtriuſque fuga ſit orationis modus: altera prouocabit ad dicendum, altera continebit ab exceſſu, vt ipſius ornamenta, & gloriosiſſimas coronas nec omnes proſequar, nec potiſſimas prætermittam.

Quam ob ſtrictus author Sancto.

Orationis methodus & materia.

III. Sed enim, quid interim ſpopondi quaſdam quibuſdam præferre, & inde afferre potiores, vbi non poteſt haberi delectus? Enimuerò in Patricio certant prima vltimis, media vtriſque, ſecum optima inuicem omnia, ſiue

VI. *Triũphabant qui in bello indicto ex Senatusconſulto bellaſſet.* Vide Gel. cit.

Et quid ei denique defuit ad triumphum, qui ne quando cauſſa laboraret, ſi ſine Senatus-conſulto bellaſſet, quamuis diuinitus factus militiæ magiſter, & dux copiarum, voluit tamen Roma venire, vt ibi ſummi Sacerdotis petita benedictione, accepta authoritate non ſibi Orbem aſſereret, ſed Vrbi?

O Patrici vere Romane, tuo nomine, alterius honoribus defuncte, cui non ſuffecit fide fuiſſe, niſi fieres etiam fortuna Romanus; & quamquam cælo legatus, voluiſti tamen Roma delegari, cui dudum baptiſmo adſcitus in filium, addidiſti monaſtici ſacramenti confirmationem Canonicum Lateranenſem profeſſus, vt eidẽ portui altera anchora alligatus, bis eſſes religione Romanus.

S. Patricius Canonicus Regularis Lateran.

VII. Vid. Gell. cit.

Ita ille Vrbi, ſic illi Roma reſpondit, quæ quaſi implens menſuram patrum ſuorum, & ſtatutis ſuis conſtans, ex loci quo meruit materia coronam ei texi curauit, quando in teſtimonium conuerſæ Hiberniæ appellari voluit Apoſtolum Hybernorum.

Audit vbiq; Apoſtolus Hyberniæ.

Ita

Ita vbique emeriti heroes, vt quiſque eſt Patricius, ſic parte non eſt contentus. Et vero par non erat illis definita eſſe legibus præmia, quorum merita eſſent infinita; qui magnitudine operum laxauerunt anguſtias decretorũ, vt quorum coronæ primum lauro, poſtea auro texerentur. Quæ tamen quamuis pretioſæ, illorum non auxerunt honorem, ſed indicarunt, nec addiderunt egentibus, ſed declararunt diuites. Adeo ALIORVM ergo magis quam geſtantium imminent iam coronatis frontibus coronæ, vt ſciant iſti quibus deferant honores, non vt illi mereantur delatos. Ante non meruerunt modò, ſed induerunt glorioſiſſimam operum coronam, quæ præoccupato fœnore frondes & fructus erant, ſementem & meſſem impleuerunt. Certè enim NVLLA auguſtior corona, nullum dignius diadema, quàm glorioſa facinora quibus quis meruit coronari. Quæ vt priores, ſic ſunt potiores; & quomodo tempore alias præcedunt, ita &, iure; quia propriæ nec ab

VIII.

Coronæ meritorũ non præmia ſunt, ſed indices.

Supremæ corona virtutes.

ingenioſa, in arduis valida, in anguſta auguſta, aliò te non deſtinabat. Certe illa oris tui maieſtas infra ſummum non debuit iacere, vt nec gemma ſedet aptè extra aurum. De Zara illo Iudæ ſecundogenito etſi primo-generando, in diuina Geneſi narratur, quia in effuſione infantis [obſtetrix ligauit coccinum in manu eius] in quò vitę tuæ vaticinium video præceſſiſſe. Enimuero obſtetrix tua, & quiſquis te naſcentem excepit, natum excoluit, ligauit coccinum in manu tua, PurpuræTe præparauit; mores tuos hoc murice imbuit, pugno tuo coccum indidit, quod articulis premeres; vt oſtrũ in manu prius haberes quam in amictu, prius in opere quam in honore.

Cardinalis Antonij indoles ad omnia.

Gen. 38.

XXV. Et vero videtur hìc diuina ſapientia approbaſſe illud Græcæ Ethicæ effatum, Hominẽ homini dæmonẽ eeſſe ſeu fatũ, & Quemq; eſſe ſuæ fortunæ figulum. Ita tuam fortunam àTe voluit fieri fortunatam. Collimauit ſiquidem ad hunc ſcopum vitæ tuæ curſus non tam annis quam coronis diſtinctus, qui

Pigh. Cæſan. præf. pat. Ann.

vt

vt hunc Tibi terminum ſtatuit, ita non hic te deſtituit, neque ibi finem agendi dedit, ſed materiam, vt iam plus velles de omnibus mereri, qui ante poteras minus. Ergo in eminentia dignitatis Bononiam Legatus proceſſiſti, Auenionem accepiſti; in quibus quæ præſtitiſti dicere poſſet qui valeret facere, credere qui meruit videre. Illa ego impotentiæ meæ confeſſione magis quàm conatu efferam, facundo ſilentio celebrabo. *Eius munia cum purpura geſta.*

XXVI

Concludam non vt alijs mos eſt monitis, ſed memoria; nec exteris Te exemplis incitabo, ſed tuis, obiecto Tibi te ipſo, qui in hac ſcena virtutum & actor es & auditor. Certe Sextus ille apud Senecam iratis in æſtu ſpeculum opponi voluit, vt accerſeret quod abiecerunt; quanto magis placidis vt parta tenerent, Tibi vt concupiſcas decorem tuum? Et quoniam creſcere non poteſt virtus tua iam adepta faſtigium, Tibi deſperatum in tuis ſperet incrementum: quod ita tibi abſit, vt tamen appareat; non errore, ſed exem- lib. 2. de Ira. c 36.

plo : Sic Sol, vbi diurni curriculi meditullium meridiano metitur, terris illabitur, quibus tamen etiã cùm imminet, abeſt tantumdem quam meridie; ſemper ambiens, nunquam accedens. Ita Tu (Eminentiſſime Princeps) agens quod agis Tui ipſius imago, oſtendes iteratis acceſſibus magnitudinem poſſe fieri, ſaltem videri minorem non occaſu ſed ambitu, non tuo damno etſi tuorum lucro, quomodo verè vmbræ aſpirant, etſi Sol non item inclinetur.

Dignus Cardinale acceſſus ad ſuos in S. Iſidoro.

XXVII. Et quoniam Italia impar aliàs erat virtuti tuæ theatrum, niſi in Galliarum protectione Alpes, in Hiberniæ Oceanum tranſmiſiſſes, ſit tibi cordi quæ eſt nunc curæ. Nollem minus tibi debeat commiſſa tibi regio quàm religio, in qua tibi deuincies omnes religiones. Illam & in acie & in ocio defendas:

-----nam quanquam bella quierunt,
Non periit virtus; iuuat exercere togata
Munera militiæ;

Lucan. in Panag. Piſ.

vt authoritate pariter & exemplo addas omni illius ordini quod op-

tat

tat, ſacro ſecuritatem, policito felicitatem: afflictis præſtes auxilium, labentibus fulcrum, languidis vigorem, ſqualentibus ornatum, obſcuris nitorem, vetuſtis nouitatem, nouis autoritatem, turbidis pacem, confuſis ordiné, laxis diſciplinam.

Dabis omnibus id Te æſtimare quod es, vt etiam qui neſciunt di- XXVIII
ſcant te in hac Hiberniæ protectnra, beatis Manibus Caroli Borromæi ſuccedere, cuius in eam immortalia merita aſſeruerunt eum meritæ immortalitati. Ita fiet vt titulo operum vendices Tibi tot nominibus hæreditarium, Antonio cognomen PII AVGVSTI, oſtendens in nobis quid ſumma pietas poſſit cum ſumma fortuna.

S. Carolas Borromæus Hybern. protector Cardinalis.

DIXI.

PANEGYRICVS TERTIVS.

DE S. PATRITIO Hyberniæ Apoſtolo.

I. SI quæ vſpiam Patriarchæ noſtri Patricij par meritis facundia poſſet inueniri, (Auditores nobilitate illuſtres, religione felices) non fuiſſem auſus de eo ego hac dicendi tenuitate, aut infantia potius perorare; quin imo trepidus formidarem, ne orationis humilitate ſeu rudi penicillo abuſus, pulchrum turpiter exprimendo, laudatiſſimi nominis memoria vbique Orbis glorioſum ſegniùs efferendo infamarem. Sed enim ſcio ipſius Beatiſſimi Patris tot eſſe laudum præconia, tot meritorum ornamenta, vt omnem (quæ diuina minor eſt, eloquentiam ſic ſuperet vt opprimat, ſic excedat, vt effugiat, ſic denique occupare poſſit, vt nulla tantum dixiſſe ſufficiat, quantum præ-

Religio perorandi de Sãcto Patritio.

Difficultas eũ celebrandi.

prætermiſiſſe cogatur, & ipſe ſi laudatorem velit admittere, imparem debeat ſuſtinere.

II. Quod ſi (vt eſt vtique) ſit certum, & oratorem quempiam (quod facit certiſſime) excuſet, me vtique ab omni ſuſpicione vindicabit, ſi illum prædicare aggrediar, qui beneficio veritatis, fidei me donauit acceſſu; qui cōmunione Euangelij, religionis me deuinxit exordio; vt ſi ſine temeritate auſim de eo dicere, non poſſim ſine ingratitudine tacere. Quarum ne cuiuſquam merito arguar, ſic de eo dicere incipiam vt vtriuſque fuga ſit orationis modus: altera prouocabit ad dicendum, altera continebit ab exceſſu, vt ipſius ornamenta, & glorioſiſſimas coronas nec omnes proſequar, nec potiſſimas prætermittam.

Quam ob ſtrictus author Sancto.

Orationis methodus & materia.

III. Sed enim, quid interim ſpopondi quaſdam quibuſdam præferre, & inde afferre potiores, vbi non poteſt haberi delectus? Enimuerò in Patricio certant prima vltimis, media vtriſque, ſecum optima inuicem omnia, ſiue

virtutem attendas, ſiue dignitatem, ſiue Apoſtolica merita, ſiue præmia meritorum. Floruerunt vbique gentium omni honore heroes; quorum diuerſa in patriam merita diſſimiles adepta ſunt dignitates. In hac ipſa, qua dicimus Vrbe Roma ex militaribus coronis alia Ciuica erat ei ceſſura qui hoſtem fudiſſet, ſi ciuem ſeruaſſet, vnum vtrobique. Caſtrenſis illius erat, qui prior in hoſtium caſtra irrupiſſet; quæ ſi mœnibus ſubijſſet, muralis erat, ſi mari, naualis. Denique collatis ſignis, & parta victoria Imperator parem operi coronam, quà Oualem, quà Triumphalem induebat.

Coronæ apud Romanos quæ quibus datæ?

Gell. l. 5. noct. c. 5.

IV. Hæ in multos diuiſæ cauit Senatus ne quando concurrerent, aut ne coinciderent materia, quæ debebant diſtinguere merita. Vnde ipſius conſulto Ciuica querna erat, alia ex myrtho, quædam ex gramine, aliquæ ex auro. Poſthumius myrtheam, Pompeius lauream, Fabius gramineam accepit, omnes omnia, ſua ſinguli *præmia frontium*, vſque ad illum

veri

veri nominis patritium Romanum L. Dentatum, qui multitudine, pariter & maieſtate meritorum, vnus omnes coronas Triumphalem, Ciuicam, Caſtrenſem cumulauit centum viginti præliorum. Plin lib. Nat. c.

V. Illius ego non tam nomen, quàm opus attendo in Patritio noſtro, qui cùm ab adoleſcentiæ exordio ad exitum meliore militia animarum totidem annos prælijs, prælia victorijs numerarit, profectò æquo numero certauit ad eaſdem coronas. Et quis caſtrenſem, quis naualem ex pugnæ primitijs magis eſt promeritus, quàm qui inſulæ Chriſtum primus prædicauit, qui ſuſtinuit primos impetus inferorum, & laceſſiuit tyrannum tot annorum tranquillitate inſolentem? Quem eo melius Ciuica coronauit, quàm qui in eadem fidei cauſa hoſtem fudit, ciuem ſeruauit; quando cum mago ignis experientiam amplexus, quaſi ſingulari certamine congreſſus, vtriuſque miniſtrum igni immiſit, qui Patricij meritis Ethnicum incendit, Chriſtianum ſeruauit?

Beda lib. de vita S. Patricij

Idē ignis Ethnicum incendit, ſeruat Chriſtianum.

Et quid ei denique defuit ad
VI. triumphum, qui ne quando cauſſa
Triūphabant qui in bello indicto ex Senatuſconſulto bellaſſēt. laboraret, ſi ſine Senatus-conſulto bellaſſet, quamuis diuinitus factus militiæ magiſter, & dux copiarum, voluit tamen Roma venire, vt ibi ſummi Sacerdotis petita benedictione, accepta authoritate non ſibi Orbem aſſereret, ſed Vrbi?
VideGel. cit.

O Patrici vere Romane, tuo nomine, alterius honoribus defuncte, cui non ſuffecit fide fuiſſe, niſi fieres etiam fortuna Romanus; & quamquam cælo legatus, voluiſti tamen Roma delegari, cui dudum baptiſmo adſcitus in filium, addidiſti monaſtici ſacramenti confirmationem Canonicum Lateranenſem profeſſus, vt eidē portui altera anchora alligatus, bis eſſes religione Romanus.
S. Patricius Canonicus Regularis Lateran.

VII. Ita ille Vrbi, ſic illi Roma reſpondit, quæ quaſi implens menſuram patrum ſuorum, & ſtatutis ſuis conſtans, ex loci quo meruit materia coronam ei texi curauit, quando in teſtimonium conuerſæ Hiberniæ appellari voluit Apoſtolum Hybernorum.
Vid.Gell. cit.
Audit ubiq; Apoſtolus Hyberniæ.

Ita

Ita vbique emeriti heroes, vt quiſque eſt Patricius, ſic parte non eſt contentus. Et vero par non erat illis definita eſſe legibus præmia, quorum merita eſſent infinita; qui magnitudine operum laxauerunt anguſtias decretorũ, vt quorum coronæ primum lauro, poſtea auro texerentur. Quæ tamen (quamuis pretioſæ, illorum non auxerunt honorem, ſed indicarunt, nec addiderunt egentibus, ſed declararunt diuites. Adeo ALIORVM ergo magis quam geſtantium imminent iam coronatis frontibus coronæ, vt ſciant iſti quibus deferant honores, non vt illi mereantur delatos. Ante non meruerunt modò, ſed induerunt glorioſiſſimam operum coronam, quæ præoccupato fœnore frondes & fructus erant, ſementem & meſſem impleuerunt. Certè enim NVLLA auguſtior corona, nullum dignius diadema, quàm glorioſa facinora quibus quis meruit coronari. Quæ vt priores, ſic ſunt potiores; & quomodo tempore alias præcedunt, ita &, iure; quia propriæ nec ab

VIII.

Coronæ meritorũ non præmia ſunt, ſed indices.

Suprema coronæ virtutes.

æmulo vendicari poſſunt, quia, præteritæ, nec ab inimico rapi.

NON ergo tunc putemus honoratos heroas, quando induunt mobiles, & obnoxias morti materias, quas admittunt verius quã accipiunt, oneri magis, quàm ornamento. Et quis, niſi furiat delatum putet Q. Fabij illuſtriſſimis meritis, quibus Vrbem hanc ſibi natalem liberauit acri obſidione, & iam patriæ ſuæ Pater accepit in præmium gramineam vittam, quæ vtique beneficij tanti non, merces potuit fuiſſe, ſed index? Simile quid Deus celebrauit in, patre fidei noſtræ Abraha, qui ob credulitatis meritum circumciſionis characterem accepit tanquam rubentis cocci circumductam coronam, non vtique ſtipendium, ſed [ſignaculum iuſtitiæ,] quæ ex præuia fide in præputio præceſſit.

Q. Fabij corona.

Abrahã circumciſione quodam modo coronatus.

X. Ergo Patricij noſtri, vt coronas texamus, merita ſunt numeranda, quibus adeo locupletauit eũ Dominus, vt ea cùm adquirere non poſſet, acciperet data, & qui agere nequibat, deberet pati. Ita, in ipſius teneros annos conſpira-

uit

uit irata fortuna, & ſæuiit, ſeruitute ter venditum tradens barbaris inſolentibus heris, apud quos proinde alia paſſus eſt quàm in Meſopotamia Iacobus, qui quamuis externo domino, ſed ſocero ſeruiuit. Noctes illi vigiliæ, dies inediæ aſperabant, æſtas æſtu, hyems frigore percellebat; & vapulabat tum forte maximè cùm proderat magis, vel ad ipſam barbari voluptatem crudelitatem habentis in delicijs.

XI. *Adhuc puer exercetur aduerſitatibus ad patientiam.*

Quorſum putamus, niſi vt ira diſceret agere paſtorem, & compati paſſis ſui memor; vt prædicaret quæ eſſet expertus non ſtudio, ſed vſu inſtructus; vt quam deberet olim docere, tum inciperet agere pœnitentiam, & auditoribus non tam tuba eſſet quàm ſpeculũ, in quo omnes viderent quid ſingulis eſſet agendum; vt Apoſtolus Aquilonis portaret in ſuo corpore ſtigmata, ſibi ad meritum, cæteris in exemplum.

XII.

Neq; vero his ille conſtitit contentus, aut blanditus eſt ſibi de tolerantia aduerſitatum, quaſi iam quietem eo motu mercatus; quin

potius fortunæ ſuæ accuſauit ignauiam, optans ipſe & ſupplens acriorem. Carnem ſuam rigidiſſimis flagellis ita cruciabat, & cruentabat, vt iam prope modum ſui carnifex euaſiſſet; & vbi ad moram doloris laborauit inopia temporis, noctem conuertit in diem, cuius ille excubias ita ſibi ad ſupplicium partitus eſt, vt primam vigiliam genuflexionibus, quas tum ducentas faciebat, impenderet; altera gelidis aquis ſtaret collo tenus immerſus; tertia denique ſuppoſito ceruicalis loco lapide ſuper altero ſtratus, refrigerio ſomni recrearet exhauſtum laboribus corpus, aut verius repararet ſubeundis.

Vt carnẽ ſuã mortificarit? *Vide vitam eius in florid. Hibern.* *Vigilia eius.* Ex flor.

XIII. *Quies nocturna qua, & quanta.*

Neque tamen vel tunc quidem, cum quieſceret, paſſus eſt ſibi deeſſe quod pateretur; interim enim aſperi cilicij particulam algidis aquis intinctam lumbis circumpoſitam geſtabat, ne quando lucifuga lex membrorum igniculum fomitis in emortua carne cineribus ſopitum ſuſcitaret. [Quis ſimilis tui in fortibus Patrici? quis ſimilis, magnificus in ſanctitate?

Exod. 15.

tate ?] An non enim fortis, an non magnifica ſanctitas, quæ tot iam aucta progreſſibus non habitura modum, niſi attigiſſet apicẽ, non dubitauit innocentem tot afficere ſupplicijs, tot tormentis mulctare? O fortunatam carnem, tot olim gloriæ dotibus illuſtrandam, quot tunc iniurijs oppreſsã! O ſanctiſſimam animam, quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrij nõ amiſit, cui ipſe tortor, qui debuit defendere, noluit parcere; quam mora vitæ iuuit tantum ad diuturnitatem mortis.

Voluntariũ martyrium.

XIV.

Ieiunia & abſtinentiæ iãcti quã ardua.

Quid ad hæc adijciemus ieiuniorum mortificationes, quibus ita temperauit victui, vt videretur non temperaſſe virtuti, & in ipſa abſtinentia peccauiſſe crapula? Ita ieiunia illius æterna erant, abſtinentiæ aſſiduæ, quæ aliquando amplians, nunc ad quintumdecimum, nunc ad trigeſimum, aliàs ad quadrageſimum diem producebat. Si audieritis orationes, quis credet auditui? Per omnem vitam, etiam cùm adhuc in paſcuis poſt fætantes circumferretur,

orationes eius. quotæ? quantæ?

retur, diebus ſingulis ducentis vicibus orabat, trecentis genuflectebat, ſeptingẽtis crucis ſe ſignaculo muniebat; pſalterium, & Apocalypſim in dies tota perſoluebat. Vbi profecto neſcio quid iudicem amplius, carpi ignauiam noſtram, irritari ſtuporem, an accendi inuidiam?

XV. *Incredibilis occupationum multitudo, viciſsitudo.*

Sed hæc eſt Patricii virtus, hæc vitæ ſeries, hic curſus ſtudiorum, quorum mortales tum denique remittent admirationem, cùm amiſerint memoriam; tum augebunt quam maximè, cùm rerum aliàs ab eo geſtarum multitudinem pariter ac difficultatem contemplati, non capient facile quemadmodum per hæc omnia, nec otium ei ad negotia, nec vires ad ardua defuerint. Ego certè ſicut nec ipſum, ita nec ſatis mirari poſſum diuinæ circa eum prouidentiæ vigilantiam, & ſapientiæ ſagacitatem, quæ vt eum in lucem gentium edere diſpoſuit, tanta vitam eius varietate, tali viciſſitudine contexuit, vt alijs doctoribus agere diſceret, alijs pati.

Enim-

Enimuerò cùm ſtatuiſſet Deus athletã ſuum ex obſcuro in apertum educere Pontificatui præparatum, indidit primum animo eius religionem adeundi religioſiſſimũ Pontificem S. Martinum Turonis, vt in illo Patricius tanquam Moyſes maternum lac ſugeret in nutrice, illius diſciplina à teneris imbutus, qui ei erat auunculus ex matre. Ibi omni virtutis ſcientia pariter & vſu inſtructus perrexit nihilominus Antiſidorũ ad S. Germanum, non vt accederet aliquid iam conſummato, ſed vt intelligeretur externo ſymbolo ſic litatum eſſe intimæ eius excellentiæ, & crederetur à poſteris, quia vtrique ſanctitate ſucceſſit, & requieuit in eo [ſpiritus duplex prophetarum. XVI.

S. Patric. fuit nepos S. Martini Turon.

4. Reg. v. 9.

Vbi ergo Palladius Roma in Hiberniam Legatus meditabatur iter, raptus magis quam eductus è viuis eſt, Eliæ inſtar à cælis deſtinantibus hunc Patricio Apoſtolatum. Ita in ipſo aditu abreptus reliquit Patricio quaſi Eliſæo ſacerdotium ſuum tanquam pendulam chlamydem Pōtificium paludamen- XVII.

S. Patr. a Deo prælatus Pelagio ad Apoſtolatũ Hyberniæ.

4. Reg. 2.

damentum. Suſcepit ille, & quaſi humo abiectam leuauit Primatus adminiſtrationem non ambitu ſed dignatione, vt & illa iam non honor erat, ſed onus. Nimirum diadema Pontificale tum non radiabat gemmis, ſed rigebat ſpinis, aſperum ad amplexum repellebat attrectantes mortis metu attonitos.

XVIII. *Antiqui tus præfici erat pati.* Etenim cùm nondum priorum Chriſtianorum fuſus in confeſſione cruor poſteris pacem germinaſſet, quibus gradibus iam ſcanditur in altum, ibatur in imũ: ſummum humilitatis genus erat in huiuſcemodi fuiſſe ambitioſum. Iam vero quid in eo præſtiterit Patricius, qui addiſcere volet, audiat dudum ante dicentem: Omnem terram (dixit Dominus) ſubiugabis mihi; Reges & Principes ſubiecti erunt tibi; Scotiam & Britanniam, Angliam & Normanniam, cæteraſq; gentes inſulanorum baptizabis. Vide an hic gentium Doctor, an Apoſtolus Aquilonis. [In mari viæ eius,] vt naualem coronam acciperet; nec vno, ſed in [aquis multis,] vt multitudinem inſulanorum baptizans

Beda l. 1. de vita S. Patric.

Pſal. 76.

S. Patric. multarũ gentium Apoſtol.

zans alter Abraham Patricius Pater multorum appellaretur.

Ex omnibus in Hiberniam primum properat, impendit ſe naufragis, illo infidelitatis magis quàm aquarum Oceano circumſeptis. Sed enim audet animo, vallatur ſpe, & mittentis pollicitatione ſecurus obijcit furentibus, non tam prædicatorem quàm prædam. Scotiæ illam antiquæ ſyluam adit erroribus tanquàm arbuſtis opacam, incolis quaſi beſtijs crudelem, quorum tumidos ira animos, & barbarie efferatos fortior quàm qui feris congrederetur, aggreditur. Et quæ illi monſtra non erant ibi ſuperanda, vbi vni inermi imminebāt omnes armati, reges ſceptro, ſacerdotes ſuperſtitione, principes poteſtate, magi præſtigijs? Iam illi bella abſenti parauerant, quē venturum didicerunt ijs authoribus, qui quia præſentem non poterant ſuſtinere, venientem conabantur auertere; ſed fruſtra vbi fortior obſtabat, & deſtinata huic fumo flamma. Ergo intrante Patritio vetuſta nouitatem indue- XIX.

Hibernia in infidelitate qualis.

S. Patrit præſcitus à Magis.

XX.

due-

duerunt, profana ſanctitatem, idola altaribus abſceſſerunt, dæmones idolis, & qui ante audebant adorari, jam non ſuſtinebant apparere.

Dæmones & idola deponit.

Audiebant olim Romani gentium victores, quamquam plerumque ſinguli ſuæ, Scipio Africæ, Cæſar Illyrici, Marius Cymbrorum; cùm tamen ipſi victorias nō tam reportarint, quàm acceperint partas militum virtute, quorum proinde manus ingentes & exercitus cumulabant. Patricius plures paucioribus ſubegit, imo nec paucis, ſed vno; Nec vt illi domitas, non ſubditas, ſed ſuccumbentes plena arbitrij libertate, qua tyrannis gentes, quamuis

XXI. victoribus victæ reſtiterunt. Sic ille rigidos Pharaonas & par principi contumax vulgus non fregit, ſed inclinauit, & Moyſe melius immerſos aquis genitalibus non extinxit Ægyptios, ſed aggregauit Hebræis; ex lapidum duritiæ filios Abrahæ ſuſcitauit. Ita Reges eo vſque maieſtate tumidi, & ſuperſtitione obſtinati demittebant alta ſupercilia, &

S. Patric. mitior Moyſe.

vt

vt cælo ſuccederent, melioris regni municipes [efficiebantur ſicut paruuli baptiſmo regenerati. *Reges Hyberniæ cõuerſi.*

Nec contenti Chriſtiana fide, incaleſcebant charitate, & quaſi credita attrectarent, poſſeſſa, credebant Deo, fœnerantes vſuram præſentium pro commercio futurorum. Æqua metamorphoſi populus eandem fidem amplexus oſtendit ſe eo vſque non abiuraſſe, ſed neſciſſe veritatem errore magis quàm vitio laborantem, & in agnitis dijs IGNOTO DEO aras poſuiſſe, cuius iam doctus Deitatem antea ferro & flammis Chriſtum inſequutus verſa vice, adorauit quod incendit, incendit quod adorauit. Numerent ergo Cæſares, numerent Scipiones trophæa prouinciarum, & Pompeius regum victorias Iarbæ, Tygranis, Mithridatis, quos in triumpho circumduxit aliorum triumphatores; qui pertinaces animos non potuit perſtringere, ſola quodammodo animalia ſuperauit, dum homines intus interim rebelles ſolo circumtulit corpore catenates. Euentus oſtendit veritatem; nam

Populus etiam.

Act.17.

XXII.

Vide Pliniũ lib.7. & Plutar. in vita Pomp.

Germania & Africa veteri Romæ rebellarunt

nam & Carthago Romæ rebellis victores ſuos pæne ad pœnitentiam reduxit; & recepti per Druſum Theutones à Varo reſilierũt; in quibus quia domiti & non dediti erant, iteratas Cannas Romanis Germania reparauit. Hibernia ex aduerſo, quia voluntate credidit prædicanti, nec tracta eſt, ſed ſequuta docentem, tam dignam credulitatem nunquam retractauit.

Hibernia nona nunquam.

XXIII. Nec mirum, non enim illa temere ſed conſilio credidit, nec tam dictis quàm operibus, quibus Patricius teſtimonia Dei fecit incredulis credibilia. Illa autem, vt audiretis, non orationes vobis expectandæ eſſent, ſed annales pantheon, paralyppomenon. Ita ille omnium Diuorum prodigia ſi non exceſſit, certe aggregauit. Thaumaturgus mirabilium, cuius virtutibus attonita pariter & oppreſſa natura ſuo ipſa ſuccenſens inuidit victori; Sic ille nutu Orbi imperauit, & in obſequium ſuum coëgit elementa militare. Flumina nunc ſiſtebat, nunc ſiccabat: grauia modò terram obire, aliàs aquis

S. Patric. prodigia ſtupenda.

In florig.

aquis ſupernatare cogebat. Ex rupibus fontes, ex glacie ignem educebat: deformibus formam, ſenibus annos reparabat; ægros ſanabat obumbrando, mortuos animabat imperio. Adeo in illo Deus compendio contraxit potentiæ ſuæ prodigia, quæ in alios diſperſa in illum voluit conueni-re. Nam quis illo Moyſe magis, [cui apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi,] qui depoſuit iuſſus calceamenta in eremo, & in Hermon vidit inuiſibilem Deũ? Quis Samuelem arctius expreſſit, quàm cuius meritis aduerſi exercitus [verſus fuit gladius cuiuſque ad proximum ſuum,] par iterum illi, XXVI. Bed. cit. Exod. 3. v. 2. *Repetit aliorum SS. miracula.* 1. Reg. 14.

Propter quem gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit aduerſas acies, reuolutaq; tela
Egit in authores & turbine repulit haſtas. Claudiã. de Conſulta Honorij.

An non ille Arca Teſtamenti, cuius reliquiæ clauſtro impoſitæ ſimul onus & aurigam egerunt, dum illis ſuppoſitæ vacuæ ibant in directum, & itinere vno gra- 1. Reg. 6.

die-

diebantur pergentes & mugientes, & non declinabant] vſque dum eas ſine duce duxerunt ad eccleſiam ſuo onere conſecrandã.

XXV. *Audit pueros ex vteris de longinquo loquentes* *2. Cor. 12.*

Pergamus: quis Paulus eo magis [audiuit arcana verba,] qui puerorum ex vtero non vagitus, ſed voces excepit, & audiuit eos loqui, quibus nec licuit viuere? Denique ſi Dominus quinque hominũ millia ſatiauit, ſed hic quatuordecim; ille tres mortuos animauit, hic triginta, & ſi ille fremitu ſpiritus & turbatione quatriduanum mortuum, hic ſæcularem ſuſcitauit. Illius mortem ſol aliquot horarum ſquallidæ nubis inuolucro quaſi pullis veſtibus deplorauit, huius ad paradiſum tranſitum plurium dierum producto lumine celebrauit.

Dies noctibus indiuiſi in tranſitu eius.

Hucuſque alijs etſi ſuperior fuit ſed ſimilis, vnum eſt Patricij peculium, in quo certus eſt non priorem ſimilem, creditus nec habere ſequentem; quia illius imperio diduxit ſe tetra tenebrarum regio inuia viuis, & aperuit ſinus æterna nocte nigrantes: vbi indignatus Infernus videri exhibuit attonitis aſpectibus dæmonum

XXVI. *S. Patricij purgatorium.*

rum ferales facies, animarum informes vmbras, quorum cuique pœnas pro meritis propinabat, fel liuidis, tumidis fumum, ignem lubricis, niues ignauis. XXVII.

Tanta molis erat noſtram non condere gentem, Virgil. 1. Aeneid.

ſed vel noua religione imbuere, tam virilis animi tam ſui, id eſt ſolidi erant Hiberni, vt nec à ſuperſtitionum fabulis potuerint niſi miraculis moueri. Iactent gentes, iactent Iudæi, ſua ſinguli quiſque quod volet; Hebræi teſtamentum, Græci ſapientiam, Latini ſacerdotium. Iactat Hibernia conſtantiam, quam hodie vſque impauida inconcuſſam Orbis exponit obtutui, dum perpetuo hæreticæ prauitatis iugo preſſa adhuc inuicta, adhuc omni aduerſitate euaſit ſuperior, percuſſionibus effecta conſtantior, inſtar palmæ, quæ ſuperimpoſitis oneribus erigitur, & vt ferrea incus, quæ ictibus ſolidatur.

Difficilis Hybernia conuerſio

Eiuſdem In fide acceptæ conſtãtia

Perſequutionibus profecit ad pietatem.

XXVIII.

Maneat ergo Patricio tot argumentis ſtabilita vtraque laus, laus miraculorum, laus ſanctimoniæ; hæc illam poſtulauit, illa hanc con-

confirmauit; ſibi hanc, illam alijs accepit, quam etſi omnes taceant, loquuntur tamen, & in æternum declamabunt ipſius in vniuerſam Eccleſiam merita, & Apoſtolatus ære perenniùs duratura monumenta. Nam vt illam in primis memorem, vbi potiſſimum laborauit Hiberniam, quid erat cùm eò acceſſiſſet Patricius? maximâ ſui Babylon idolorum, ſtatio infidelitatis, artis magicæ Academia, & tam tenax erroris, quàm eſt hodie veritatis. Quid per ipſum euaſit? ſpes altera Romæ, præſidium fidei, ſchola pietatis. Ipſe in ea eccleſias ſeptingentas ædificauit, Epiſcopos trecentos quinquaginta conſecrauit, Sacerdotum quinque millia ordinauit, monaſterijs inſulam paſſim repleuit, monaſteria monachis, deſerta anachoretis, omnia ſanctis, vt vbique terrarum Hibernia vulgato nomine *Inſula Sanctorum* appellaretur. De ea Bernardus tam numeroſam, imo tam ſine numero multitudinem beatæ prolis ipſius contemplatus aliquando, attonitus, & extra ſe præ admira-

Mutatio Hyberniæ per fidem

XXIX. *Incredibilis labor & fructus S. Patr. in Hyber.*

Ex litteris Apoſtolicis.

mirationis magnitudine abreptus, Tot (inquit) ſunt Sancti in Hibernia, quot ſunt ſtellæ in firmamento. Et alibi de eadem: Terra ſancta (inquit) Sanctorum examina tanquam inundatione facta effudit. Omnes Patricii filij, omnes diſciplinæ eius alumni, quibus vſque adeò locupletauit Hiberniam, vt ipſa exteris nationibus plures ſine inopiæ ſenſu tranſmiſerit. Ex illa Britannia Fingarum cum ſocijs ſeptingentis ſeptuaginta plus minus, Italia Columbanum, Germania Gallum, Magnum, Virgilium; Belgium Rumoldum, Francia Fiacrum, Normannia Laurentium, Burgundia Malachiam, Scotia Blatmacum ſanctiſsimos patres, & patronos acceperunt? Vt omnes fere omnis Occidentis Eccleſiæ debeant Patri noſtro, debeant patriæ ſanctitatis ſuæ & religionis incrementum. Ad quorum littora cùm iam longa velitatione deuoluta ſit oratio, contraham aliquando vela, & figam anchoras, nec amplius in immenſo laudum Patricij æquore circumuectus nequidquã

Hibernia alijs nationibus communicauit Sanctos. XXX.

in profundo fundum quæram, in infinito terminum, in ſolitudine ſocietatem.

XXXI. Reliquum iam eſt (AA) vt ſi cui vſquam ſplendor ſanctitatis, miraculorum gloria, beatorum filiorum multitudo, imo examina, & inundatio apud poſteros laudem, admirationem, cultum promereri poſſint, vos Patricium omni laude, honore, cultu proſequamini. ſi quem amplius certa tot annorum centurijs beatæ æternitatis hæreditas, tot Eccleſiarum, tot populorum patrocinium fidelium precibus & pietati commendare poſſint, omnes in Patricio omnem ſpem reponatis.

Apoſtrophe ad Hybernos

XXXII. Vos præſertim Hiberni, quorum titulum ſuo nomini annectit, quorum potiſſimum lucro laborauit, meruit ſtipendijs, profectui militauit. Cogitate per illum præſtita, ſperate eidem promiſſa. Ille vos venenatorũ animalium ſemel præſentia liberauit, ſemper periculo, vtique in figura futuri; vt meliori magiſterio intelligatis toxica hæreſeon, & hæreſiarchum monſtra, nec innaſci vobis poſſe, nec in-

fer-

ferri. Ille, ille impetrauit vt [in altari veſtro ſemper ignis veri luminis arderet:] quem nec errorum flatus, nec tempeſtatum turbines poſſent ſopire. Deniq; viam vitæ non ſolùm aperuit vobis, ſed ſtrauit ex aſpera planam; quam ab ipſo accipere debetis, quia arbiter eſt veſter; poteſtis, quia Pater. Agite ergo, ſperate: nobis à timore eſt timendum. Apoſtolus noſter erit noſtratum cenſor; ille nos iudicabit, qui genuit, & ſcitis quàm proni parentes in prolem, quam neſciant nocere, illi minime, qui maxima diſpenſant. Ergo arbiter æternitatis, tanti patrimonij pater, non proſcribere optat, ſed adoptare.

Leuit. 6.

S. Patricius noniſſime iudicabit Hybernos Beda cit.

*
* *

DIXI.

PANEGYRICVS QVARTVS.

MERITÆ ELECTIONI

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.

FR. DIONYSII O' DRISCOLL HYBERNI

EX SACRO ORDINE MINO-rum Obſeruantium Archiepiſco-pi Brunduſini.

I.

INancipiti quęſito, quod multorum diuiſit inge-nia ſuper duello cum vtraq; nobis fortuna propoſito (Illuſtriſs. D.) ijs lubens aggregor qui contra Stoicos cen-ſent ADVERSAM minus eſſe ad- »
uerſam, & facilius eſſe difficilia »
perſtringere quam læta moderari. »
Proinde ijs promptior accedo, qui accurrunt citius conſolando ami-co ſuper amiſſis bonis, quàm con-gratulando de acquiſitis. Vtique enim FACILIVS in conſolatione non fueris mendax, quàm in con-gra-

Ardua res rebus ſecnndis tempera-re.

Seneca. Thucid. l.3. vide Petrarch. de Rem. Prolog.

gratulatione non peccaueris adulator: PROMPTIVS timor quam tumor deijcitur; & humani animi elatio magnitudini ſuæ credula magis eſt quam infirmitati. Totum eo præmiſi, vt quiſque percipiat memorem me periculi mei quando tam auſpicatæ electionis tuæ ago oratorem, debere non mea in Te ſed tua æſtimare: nihil affectui, totum æquitati dare; & ſi fuſe videar tuis laudibus litaſſe, parce tamen non penuria ſed cautela peroraſſe. II.

Cautela authori neceſſaria perorando.

Cæterum prorſus prætermittere non debui tam debitum tibi officium fuga iniquæ ſuſpicionis: Audio etenim a longe monentem III.

Nazianſ. in obitu Gorgon. orat. II.

„ virtutis decora, etſi domeſtica
„ non ideo falſa; ſed quia vera, ideo
„ decoranda. Accingar ergo & incipiam, quod dixi non mea in Te, ſed tua æſtimare, imo nec tua omnia; mittam enim plurima mendicare argumenta ab ijs rebus quæ licet multo, extero te tamen fulgore circumdant, patriæ tuæ principatum, maiorum facinora, proauorum poſſeſſiones, & alia ardua quæq; quæ quamuis maxi-

ma, aliena tamen ſunt, & nepotibus laudem non tam adferunt quam præmittunt, imo extorquêt. Quod ipſum quam non parum eſt, ita me retardat vt in Te celebrare illud velim quo tibi non fas erat eſſe nefaſtum, ortus nobilitatem, quam etſi

Quomodo cætera ornamenta ſunt. propriam

——— *nos non fecimus*

tamen noſtram fecimus quotquot inde non gloriæ popularis capturam, ſed pietatis patrimonium; non ſanguinis, ſed virtutis traducem deriuamus. Adeo rectè ille iudicauit

Lucan. in Pangyr. Piſan.

——— *qui magnis animum natalibus æquat,*

Ipſe canendus erit.

IV. Ergo ipſe canendus eris (Illuſtriſſime D.) hoc titulo, tuo iure, qui magnæ origini parem animum attuliſti, nec æquaſti ſolum, ſed extuliſti ſatis magnũ ſi vel æqualem. Tua eſt Odriſcolia, tua Carthæorum familiæ vetuſtate nobiles, nouitate felices, hæc exteris, illa proprijs. Nam & Carthæi tui ex matre maiores Argiliæ Comites in Scotia ediderunt, alijs etiam familijs fœti magnæ inſulæ

Nobilitas Præſulis.

ma-

magnates familiares tibi fecerũt.
Paterna propago patriæ ſuæ libe- V.
ram adminiſtrationem non geſſit
ſolum, ſed incepit, in qua ex Da-
naum ditione in liberalitatem
aſſerta diuiſis prouincijs citeriorẽ
Momoniam ſortita, perpetua tra-
duce illuſtriſſimæ ſtirpis vetuſtam
nobilitatem annoſa ſerie propa- VI.
gauit. Vſque dum denique proxi-
mus tibi patruus amplam ditionẽ
Caſtelhauen Comitum titulo ab
Anglis inſignem felici commercio VII.
in defenſæ religionis lucrum con-
uertit, exilio fidem mercatus. Quẽ
qũia cauſâ Chriſtianâ amiſit, non
eripi ſibi ſenſit, ſed differri, &
animosè egens ampliſſimum pa-
trimonium felicius, perdidit quàm
poſſedit ſuo damno ditandus.

Familia Carthæorum in Hybernia qualis?

Comitatus Caſtelhauen in Hybernia?

His tu natalibus quod æquaueris animum laudabile, quomodo æquaris admirandum. Nimirum maiorum tuorum magnitudinem commutaſti Minorum humilitate, libertatem vinculo, patrimonium paupertate; lenocinium paternæ domus, & parentum illecebras Seraphici Ordinis rigore quaſi vitẽ falcę putaſti; & adole- VIII.

Vocatio præſulis ad S.P.N. Franciſci religionem.

ſcentiæ præcipitem in oblectamēta furorem faſcijs religionis, inſtitis potius obligaſti, illa enim naſcentium ſunt, iſta mortuorum. Huic, inquam humilitati inclinaſti æquandam ortus tui altitudinē: Erro, ſed huic altitudini prouexiſti æeuandam ortus tui ſublimitatem. Nimirum (quod ſecreto Saluator intimauit,) [Aſcendimus Ieroſolymam:] qui enim in Ierico, qui in Mundum migrat, non ſcandit, ſed illabitur pronus. vſque vſque adeo DIVINA ſeruitus libertatem, paupertas patrimoniū, humilitas faſtigium non eripit, ſed inſtaurat.

Profeſsio religionis eſt vita dignitatis.

IX. *Luc. 18.*

NEC QVISQVAM hiſce magis vtitur ad magnificentiam, opibus ad vbertatem, arbitrio ad libertatem, delicijs ad pacem, quàm qui hæc ipſa quadam quaſi tumida ſanctitate calcauit.

Seculi blādimenta ſpreta fænerantur abijcienti

X. Nouit ille Romanus Marcus Curius, qui à Samnitū legatis rogatus ad munerum admiſſionē repulit indignatus, glorioſius ſibi eſſe ratus aurum contemnere quā poſſidere. Et certe quouſque huc venitur, quam diu tenetur aurum, qui id poſſidet, poſſidetur;

Plutarch. in Apop.

nec

nec dominus duntaxat eſt, ſed cuſtos. Tu (Illuſtriſſime Domine) hæc omnia machinamenta & implicitos dolos velut Alexander iſle diſſoluiſti vno ictu, triplici loro quando ipſum iuuentutis tuæ florem quaſi [agnum anniculum] ad aram religionis triplici votorum fune obligatum obtuliſti Domino [holocauſtum matutinum.] In quo nota dignum eſt quomodo arcano, imo aduerſo conſilio præparaſti te principatui, quem detrahendo tibi attraxiſti, fugiendo es aſſecutus; nimirum quia ille fugientem te eſt inſecutus; plane aduerſo conſilio, & vel ideo arcano, adhuc amplius quia alieno. XI. *Exod. 12.* *Iuuenis conuerſus holocauſtum matutinum.* *Num. 28.*

XII. Bella illa Auguſtini in altum inuitantis adagia. Magnus eſſe vis? à minimo incipe: cogitas magnā fabricam conſtruere celſitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis: & quantam quiſque vult & diſponit ſuperimponere molem ædificij, quanto erit maius ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum conſtruitur in ſuprema conſurgit, *Serm. de verb. Domini.* *Religioſæ perfectionis fundamentu humilitas.*

D 5 qui

qui autem fodit fundamentum ad ima deprimitur, ergo & fabrica ante celſitudinem humiliatur, & faſtigium poſt humiliationem erigitur. Et cui frons ſit aut comere aut carpere Auguſtinum? Auſim tamen hærere, & in hac hæreſi affirmare veriſſime id ſemel dictum, ſæpe ſapienter factum, vix ſæpe ſancte. Enimuero COGITATIO fabricæ etiam à fundamentis reſpuit humilitatem: & QVISQVIS eo ſe conſilio voluntate magnitudinis abijcit, non ſubiectionem in imo incipit, ſed ſublimitatem. Nimirum vertit ille vices; fabrica eius cùm conſtituitur deprimitur; dum autem fodit fundamentum, in altum aſpirat faſtigium eius ante humiliationé erigitur, ſubgrundia ſine fundamento faſtigiatur.

XIII. *Humilitas etſi nonnunquam capiat ſed nunquã ſapit ad ſum.*

XIV. Gen. 49. Tu vero vt [filius accreſcens cogitaſti de te malum] proprio conſilio latere voluiſti, alieno nõ potuiſti, [Deus enim vertit illud in bonum] adeoque (quod dixi) arcano te conſilio præparaſti præſulatui quia alieno. Sic torta ſagitta impetum habet, conſilium non habet, & tamen eo fertur quo voluit

ibid. cap. 50.

luit non ipſa s ſed iaculator, qui etiam aliquando humo eam allidit vt eleuet; & fit via ad altitudinem quod deprimatur. Ita dico arcano te conſilio præparaſti præſulatui, & vel ideo arcano quia aduerſo; Nimirum receſſu acceſſum tenuiſti, negligentia prædam, fuga accepiſti poſſeſſionem. Et tamen (ſi credere vis eſt,) hàc itur ad adminiſtrationē; vbi acceſſeris debes regredi, imo vt accedas. & digna fide; nam etiam qui moroſa diligentia elaborat pictam coloribus figuram, vt iudicet de lineamentis retrocedit; quaſi propinquus vbi omniū maximè, videat omnino minus. Ita Tu (Illuſtriſſime Domine) vt iudicares de ſæculo, dixiſti illi Vale; & quomodo olim Pytagoræ auditores ſilentio didicerunt loqui, ita Tu contemptu ſæcularium non proméruiſti tantum eorum adminiſtrationem, ſed didiciſti.

Deus altitudinē humiliantis ſe cogitat, nō i p. ſe.

Præſuli via ad honorem fuit humilitas.

XV.

Socratis diſcipuli quales.

XVI.

Neque Tu tamen huc de repente ex latebris ad lucem tanquam leo ad prædam è cauea irrupiſti: ſed virtutem animi prius domeſticis tuis probaſti ſecure;

quam publico inferres periculoſe. Ante ſiquidem apud tuos rexiſti cathedras, preſſiſti pulpita, celebraſti ſcholas, ſacra, profana eruditione: & iam diſcendo emeritus, voluiſti docendo promereri. Docuiſti iuuentutem etiam cũ ipſe iuuentute adhuc docilis eſſes, niſi maturata ſapientia præripuiſſet diſciplinæ locum, & propria induſtria præiudicaſſet alienæ. Eo loci, temporis, gentis, religionis, geſſiſti magiſterium, vbi felicitatis eſt diſcere, neceſſitatis cogi, prudentiæ velle doceri.

Archiepiſcopus in religione docuit

XVII. Ac ne qua ſuſpicio eſſet, an hæc titulis tuis an meritis darentur, non in patria tua, ſed trans mare apud exteros, Hybernus in Hiſpania accepiſti omnium votis quæ aliorum votis vocata, prece petita, deſtituerunt eorum deſiderium vt coronarent tuum meritum. Et vt à prophanis incipiam: Logicam inprimis & Philoſophiam profeſſus es, ea non dico laude, ſed admiratione, vt ſuperiorum nõ tam ſatiaueris quàm irritaueris appetitum; quando toties actum agere coactus arcana naturæ tertiò ten-

Apud cæteros accepit cathedram.

tentata tibi iam familiaria, alijs etiam facilia reddidiſti.

In quo (vt obiter aduertam) non poſſum non admirari vetuſti illius vaticinij fidem, quo philoſophiæ quaſi coniugium cum Hybernia celebratur.

Exemplo Patrum commotus amore legendi
Ibit ad Hybernos Sophia (mirabile) claros.

Hybernia celebris olim toto orbe profeſſione litterarũ. Camdenus.

quod vſque adeo experimur non falli, vt cum iam temporum iniuria liberum non ſit exteris in Hybernia Philoſophiam aucupari, fas ſit tamen Hybernis apud exteros philoſophari.

Iam vero quo te applauſu ex naturalium palæſtra repetita pugna, multiplicata victoria, XIX.

——*pulchro puluere ſordidum*

Vrban. 8. oda ad Cardin. Fr. nepot.

tanquam Iacobum ex Liæ dotali labore, tanquam Apollinem ex Semideum congreſſu reducem excepit vere Rachël altera Pallas Theologia

—— *& oliua inſignis, & haſta*

quæ laborum & præmium Tibi præferret, & inſtrumentum (dum laurea

Ex Philoſopho Theologiæ profeſſor.

laurea pro labore coronaris, & profeſſione non abiecta ſed mutata, iterum ſcholas aperires, iterum audiendus maiori honore, meliori argumento: Et quid non ibi feciſti, perfeciſti? Suſpexit te Legio, mirata eſt attonita Compoſtella, obſtupit Salamantica, adultam in adoleſcente maturitatem, ſenilem in iuuene grauitaté, canitiem ſenſus, teneritudinem annorum, magiſterium virtutis, præiudicium ætatis.

XX. Hæc nimirum in ſacris tua Bibliotheca erant, ea arma militiæ; hoc ſtudij & inſtrumentũ & obiectũ. Enimuero IN SACRÆ Theologiæ tractatu nequaquam ſat eſt quod nos agimus niſi ipſi etiã deſuper agamur: tẽtare poſſumus, non ſuperare; pulſare poſſumus, penetrare nõ valemus, niſi ille nobis recludat, qui Scripturarum inuolucro nobis retexit, ſibi reſeruauit arcana.

Sacrarũ litterarũ ſcientia pendet ex diuina gratia.

XXI. Et vero quid ni cæleſtia Cælo cognato illabantur, quãdo infima hæc & mechanica ſeipſis aliàs mobilia neſciũt ſine cælo moueri? Nauigium quamuis arte laboratũ, remis inſtructum, carbaſis expan

Ars, & natura deficiunt niſi e cælo moueã tur.

ſum

ſum, ponderibus libratum, niſi cælo venti aſpirent, ſulcat ſemel mare, deinceps percurritur potius quam pertranſit. Agri fertiles & delicatiſſimæ florum feraces areæ niſi cælitus impluat, marcent. & quomodo non item quin magis diuina Theologia omni flore diues, omni fructu fœcunda, cælo maritum humorem præſtoletur, ſupernæ gratiæ rorem; ? quem Tu tam altè imbibiſti, quam hæc probe nóſti. Vnde hic ita vitæ ſanctitatē adhibuiſti, ac ſi minus natura præſtares; ita naturam applicuiſti ac ſi gratiam deſperares; tanta es vſus induſtria ac ſi minus polleres ingenio; tali fretus ingenio, vt poſſit prorſus induſtria diſſimulari. Propter quæ tot Academijs eras in honore, alijs in laude; alibi factis, alias fama præſens, interim quaſi vbique fuiſti, vbi aderas, in delicijs, vbi aberas, in deſiderijs.

Theologia cælo cognata

XXII.

Præſul et ingenio pollens et induſtria

XXIII. Vnde etiam illa æquiſſima ingeniorum æſtimatrix Hiſpania nouo te onere, merito honore cumulauit, vt fidei vniuerſalis Cenſor tāquā tuus ipſe Dionyſius in Areo-

In Hiſpania factus fidei Cenſor.

pago

pago iudex ad ardua quæq; expoſitus ſolueres quæcunq; ligari poſſint, ligares quæ vix diſſolui.

Sed in Te mihi propoſitum eſt non quæ accepiſti, ſed quæ meruiſti ponderare, vt palam faciam tuæ eruditioni omnia non modo delata eſſe ſed debita, & vel ideo delata. Ergo (abſit veritati inuidia,) non tua illa ſapientia, quæ publicæ audientiæ aut impatiens, aut inepta neſcit extra ſcholas audiri, & tanquam inſidens cæco claudus viam non premit ipſe ſed prodit; ita Tu alios Euangelij præcones feciſti, te ipſum auditorem. Abſit, inquam, inuidia; Tua eſt illa Theologia, quæ in ſcholis vtiliter, in eccleſijs fęliciter intonuit; in cæteris cæteros, in hoc te ipſum viciſti. Tua eſt in prædicando illa flexanimis domina, regina mentium, affectuum imperatrix eloquentia, tuum

Prædicator item famoſus.

——*dulce loquendi*
Pondus, & attonitas ſermo qui duceret aures.

Facundia eius. Claud. de conſolat. Theod.

quem proinde turmatim populus, docti auide, principes frequenter, Rex libenter audiuit. Enimero pulchro

chro fœdere vinxiſti vtile dulci; ſuadam ſophiæ, Martem Mercurio temperaſti; ab altera ſaporem mutuatus, ab altera vigorem, quod in Ambroſio probauit Auguſtinus „ dum placebat quam bene diceres, „ hærebat quam bene dixiſſes.

XXIV. Duos video antiquitati commendatos principes ingeniorũ, alterum Philoſophũ, alterũ Oratorem, Demoſthenẽ in orandis cauſis, Ariſtotelẽ in eruendis. Vtriq. vtraque palma ceſſit, ſed diuiſim non tã data quam diſtributa. vnius eloquentiam, alterius ſapientiam ſuſpexit vetuſtas. In illo eloquentem ſapientiam, in hoc ſapientem eloquentiam coronauit; ſingulas illis ceſſit natura, quaſi alteri vtrãq. (Tibi video) reſeruaret, in quo nec eloquentia deſipit, nec ſapientia obmuteſcit, & tam eleganter ſapientia loquitur, quam ſubtiliter eloquentia ſapit.

Demoſthenis & Ariſtotelis diuerſa excellentia.

In Archiepiſcopum coiuerunt.

XXV. Sed quorſum omnia? vt oſtendam dignitatem in Te non deſcendere ſed aſpirare, & adeptam parem altitudini ſuæ excellentiam in tuo pectore tanquam in centro conquieſcere. Etenim duas pariter

Ad amuſsim Apoſtolicæ regulæ reſpõdet. ter leges lego quaſi canones ab Apoſtolo in canonicis ſuis ſparſim præfixas Epiſcopo: alibi Doctorem eſſe volet, alias innocentem. vtriuſque compendium texuit ad
Ad Tit. 2. Titum illis [Verbum ſanum irreprehenſibile,] vbi Præſulem cum prædicationis fide non ſolum connexuit, ſed confudit; quaſi doctrinę ſanitas conſtet docentis ſan-
Verbum ſanũ vita ſana indiget. ctitate, qui ſicubi ex vitio pateat obloquentium morſui, fidem faciat fama laborare.

XXVI. Sed in his (Illuſtriſsime Domine) alijs ſcripta eſt vitæ regula, tibi hiſtoria. Alij quid facere de-
Cypr. Nazianſ. beant hic legunt, tu quod feciſti; cuius efficacius eſt vitæ quam linguæ teſtimonium: & quod ore „ pingis, vita non expungis. Adeo" merito ad honoris coronam adſcitus es, quem tibi certa lege, &
Præſul ex meritis aſſumptus. legitimo certamine deſponſaſti. Merito in ſpecioſæ Rachelis amplexus admiſſus, qui in laborioſa religione quaſi Liæ connubio deſudaſti: iure in honoris delubrum receptus es, qui prius Virtutis a-
XXVII. ſylum ſubijſti. Antiquitus ſiquidem ſuccedebant ſibi templa me-

rito-

rit orum & honorum, vt nequaquam ei alterum hoc pateret, qui alterum non penetraſſet. Et quæ honorum templa, niſi pontificales Eccleſiæ, quæ meritorum rectius quam regulares peruadantur? Quod ipſum tacite videtur Eccleſiæ ſuæ ſpiritus inſpiraſſe, volens quaſi antiquitati colludere, cùm antiquis ſuis ordinaret vbi princeps conſtituendus eſſet [e numero fratrum eligendum.]

Antiquis vicina delubra virtutis honoris.

Ex regularibus tutò aſſumuntur præſules Eccleſiarum.

Deut. 17. XXVIII.

Quidquid illud eſt, habes (Illuſtriſsime D) delubrum honoris Brunduſinam ſedem, meritorum tuorum & premium & teſtē; teſtē, quia ex numeroFratrum lectus es; præmium, quia princeps. Alterum tibi ad ornamentum erit, alterum ad complementum, virtus ad conſcientiam faciet, præmium ad gloriam, non tuam ipſius tantùm quantumuis meriti, ſed etiam meritorū. Nam VT VERVM eſto merita pręmijs non egere; ita neque falſum eſt fulgere: ampliari nō poſſunt, illuſtrari poſſunt. NON extollitur per hęc virtus, ſed conſpicitur; neque augetur amplitudine, ſed oſtenditur: quam digniorem

rem reddere nec ipſa dignitas poteſt, ſed bene clariorem. Itaque
XXIX. conſpicua eſt hoc apice meritorũ tuorum excellentia non tui egeſtate, ſed aliorum neceſsitate, plurium fructu, bonorum voluptate. Illa aliàs ſe contenta teſte ſibi theatrum eſt.

Dignitas officiu manifeſtauit præſulis dignitatẽ meritorũ

Claud. in Conſul. Manl.

——————ſolaque late

Fortuna ſecura nitet, non faſcibus vllis

Erigitur.

Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis.

Aſſumptio eius vtrique conduxit.

Sed tamen euehi Te ipſa ſapiẽtia voluit vt in te plures illuminaret; vouit virtus, vt à te acciperet potentiam: voluit dignitas vt per
XXX. te multiplicaret maieſtatem.

Perge igitur (Illuſtriſsime Dñe) reſponde ſapientię vt iam plures erudias verbo: ſequere virtutem, vt efficacius doceas exemplo: admitte qua indociles coërceas, poteſtatem. Ita alias quoque magnis minora conducunt: ſic Sol illuſtrat omnia, ſed in cęlo poſitus: oculus corpus illuminat, ſed in capite: lucerna domui fulget, ſi tamen quo fertur feratur in altum

Loci excellentia iuuat ad explicandam virtutem.

qu or-

quorſum vt flamma ſic virtus properat cognato cęlo collocanda. XXXI.

Atque hic in fine minimè video pro more tibi memorandum, ne cum honoribus, etiam moribus innoueris; neu publica dignitas detrahat priuatæ pietati: hæc ſiquidé TINEA dignitatum eſt, qua immeriti quique cum exteriori pompa intùs induunt ſupercilium, & quaſi cum fortuna naturam exuiſſent, tument aliquid homine maius, cælo locandi ſi mortalitatem excuſſiſſent. Tua eſt illa teſtamenti tui tenacitas & conſtantia diſciplinæ, quam nec ipſius aſperitas, nec externa poterit fælicitas labefactare. Vndique tutus, nec faſtidio fractus es, nec fælicitate diſſoluendus. Agathoclis continentiam tota retrò poſteritas cõmendauit, quòd è figulo factus rex inter crateras auro graues, & vaſa aſpera gemmis tabulæ ſuæ indies fictilia inferri curauit tanquàm priſtinæ conditionis monumentum, ne præſenti luxu ſolueretur. Et Tu aliud agis an ipſum, quando in tam amplæ dignitatis acceſſu religioſi habitus tenorem exui-

Honores quibus mutant mores.

Agothoclis ſingulare exẽplum continentiæ &c.

Sanctè ſeruant regulares præſules priſtini habitu colorem.

exuiſti,colorem tenuiſti,& in pontificio paludamento circumfers cinerem.

XXXII. I ergo, I; fac-cito-ſatis electioni regiæ, Sacramento Pontificis, prouidentiæ Diuinæ. Reſponde omnium votis,doctorum iudicijs, bonorum ſuffragijs. Redde te denique Brunduſio tuo, infer Romanorum colonijs Hybernorum parem animi virtutem, & magnificos auſus. O horribilem (exclamauit Florus)in tot aduerſis fidē! Populi Romani; tam arctis afflictiſque rebus cùm de Italia ſua dubitaret, auſus eſt tamen in diuerſa reſpicere; dumque hoſtes in iugulo per Campaniam & Apuliam volitarent,mediamque de Italia Africam feciſſent, eodem tempore & hunc (Hannibalem) ſuſtinebat, & in Siciliam, Sardiniam, Hiſpaniam diuerſa per Orbem terrarum arma mittebat.

Hiberni Romanorum veterū virtutē aſſequti.

Luc.flor. lib.2.c.6.

Clades belli punia ſecūdi.

XXXIII. Sic ille ſuorum virtutem admiratione ſuſpendit in immani illa Belli Punici iterata tempeſtate, cum duo maximi exercitus cæſi ſunt ad hoſtium ſatietatem. ſic ille; ſic Ego: O horribilem in-

Hybernia in ſol calamitatibus pro religione conſtantia.

tot aduerſis fidem! ò ſingularem ſpiritum, & ſpiritualem conſtantiã prouinciarum Hyberniæ! iam cum ipſa vitam in periculo, mortem in metu habet: cùm hæreticorum immanitatem in ſacerdotum ſuorum ſæua cæde experitur; vt ipſe titulus Sacerdotij ſit reatus ſupplicij; tam arctis afflictiſque rebus iam nunc ipſa lacertos mouet, & quaſi brachijs ad natandum expanſis, ad exteros traijciens Eccleſias multas miniſtris, ſacra Sacerdotibus, Prouincias Epiſcopis locupletauit.

Interim etiam alijs regionibus Eccleſiaſtes impartitur.

XXXIV.

Et in Te quidem ſeruat magnificentiæ ſuæ progreſſum, ſed non ſumit initium: iam ante ſecula Hybernia non in hac tantum quo ſtamus Italia, ſed in alias vſpiam Orbis plagas ſacrorum Antiſtites & fidei præcones diſpenſauit. Illa, illa adiacenti nobis Alemanniæ in Bauaria Virgilium ſanctiſſimum præſulem dedit. alibi Magnum. alibi Gallum. Illa Brabantiæ Rumoldum Epiſcopum, Flandriæ Leuinum, Gutagonum. & poſt nonnullos memorandum celeberrimum Monachorũ Patriarcham

Idipſum dudum ſæpe præſtitit.

Sancti Hyberni per alias prouincias fuſi.

cham Columbanum, Arteſiæ Luiglium, Hannoniæ Ethonem. Franciæ Furſæum, Burgundiæ Malachiam. & in hoc ipſo Italiæ cōtinenti Lyciæ Donatum dedit parem Orbi Epiſcopū, & ex aduerſo Brundusij tui Tarentinæ vrbi glorioſiſſimū meritis & miraculis Catullum præſulem & patronum communicauit.

Inter hos tu (Illuſtriſsime Domine) age glorioſum comitatum imple agmen Sanctorum: explica inter ſanctos ſapientiam tuam, inter ſapientes ſanctitatem. Exprime in te auitam nobilitatē, patriam pietatem. Ordinis diſciplinam. Dic Hyberniam premi aliquando poſſe, opprimi nunquam. Per omnibus quam poſſit alijs Hybernia ſine ſui inopia ferre opem &c., dum domi metitur, alibi ſeminare.

DIXI.

PA-

PANEGYRICVS QVINTVS.

DE VIRTVTE ORATIONE.

MEO damno videbor nonnullis onus hoc obire, & quam pro obiecto adfero in me ipſum ferre ſententiã. Videor ipſo auſu cauſa cadere, quam quiſq; ne iudicabit laborare laude, quæ tam tenuem ſuſtinet laudatorem, par auditoribus præiudicium irrogantem, quibus audeo oratione Orationem commendare, de qua me magis audire oportuit, illos admonere. Ita (inquient) eorum irrito animo, quorum debui aucupari amorem; prius mihi maculam, quàm materiæ adſciſco ſuffragiũ. I. *Exordio ſtatim retundit ſuſpitionis.*

Sed eſto: iſta mihi minentur, qui ſibi metuunt. Ego veſtram (Auditores) non timeo, ſed ſpero ſententiam. Nec aliàs etiam ob iſta debui deſinere, aut pietatem eloquentiâ metiri, ac ſi inde inep- II.

Aliud agere, aliud prædicare virtutem Cor. 13.

tus ſiam extollendæ virtuti, ſi piger ſim exercendæ; quaſi non poſſim eſſe ſi minus Apoſtolus, ſaltim [æs ſonãs aut cymbalũ,] quod etſi nunquam oret, ſed nonnunquam alijs ſonat ad orandum.

III. Quanquam ego hìc non æs agam, ſed ædituum; pulſo interim; non ſono; ita aliorum adducto dogmate pergã perorare alienis verbis, etſi mea voce. Non veritatem, ſed viam, ducem potius demonſtrabo, qui ſiſtat nos ſcholæ, in qua ijs authoribus addiſcemus, qui impatientiæ noſtræ compatientes, & inertiæ artificioſi ſine mulcta errorum erudient nos ad veritatem.

IV. *Iob. dux ad orationē.* Ergo vt noueris qui neſcis orare, adi pædagogum pietatis, praxi patientiæ ad anatomiam vſque extenuatum, qui in ſtudio orationis euaſit nòn auditu, ſed experimento emeritus. Ille etenim quaſi duce defunctus academiam nobis & doctores demonſtrauit aptiſſimos illos, qui ſonant ſine ſono, & ſuo nos non magiſterio imbuunt, ſed exemplo.

V. Et quę expectatis (Auditores)? piſces

piſces, profundi. volucres cęli, terra quam premimus, iumenta quæ oneramus. Enimverò terra parens vbi toſto viſcere omnem auida vorauit humorem, hiat deſuper, & quaſi ora agens orationi rimis fatiſcit. Plantaria ipſius & virgulta, vbi ſuccreſcunt, quot frondes tot linguas cælo ſupplices emittunt. Piſces aquis immurmurant, boues mugiunt, lupi vlulant, leo rugit, grunniunt ſues, rudit aſinus, pipiunt paſſeres, turtur gemit, & omnia cælo ſubmiſſa ſ[illegible]ora orationi, quotquot habent, laxant, quæ non habent, diducunt. Adeo vniuerſa ſurſum prouocant, & voce vota fatentur, ſi qua quandoque aut egeſtate, aut tempeſtate turbantur.

Interroga iumēta & docebunt te; volucres cæli, & indicabunt loquere terræ &c. Iob c. 12.

Diuerſa animantum voces.

VI. Et nos quid iam agere oportet, imò quid non pati, ſi hæc nondum didicimus, quæ illa norunt docere? ſi ea non agimus, quibus illa neſciunt prohiberi. dum ſenſu carentia ſenſum noſtrum increpant, quando ipſa etiam quæ non poſſunt, tamen conantur orare?

VII. Sed enim hic crediderim pleriſque noſtrum non ignauiam, ſed

ignorantiam obeſſe, & contra quam Annæus vniuerſim affirmauit ad corrigendam hominum in orando difficultatem;compendium eſſe per doctrinam, circuitum per exempla.

Seneca.

VIII. *Altitu do & dignitas orationis.*

Quis enim niſi neſcius neglexit eam? quis tardius agnouit, quam amauit: quotus ſuperba ſapit, & illam non ambit, quæ eò vſque aſpiārit,quò non poteſt ire altius altitudo?Cæteræ hominũ virtutes viam verrunt, & vt maximè morales oſtio cęli tanquàm biforibus valuis quatuor cardines aduoluũtur; hęc intrò eſt, & principem affatur. Alię te tibi exhibent, etſi meliorem, ſed eundem; aut certè pari proximo tuo miſericordia te applicat, clementia placat, magnitudo promouet, conſtantia ſiſtit, fortitudo eleuat, humilitas inclinat. Oratio non nutat viciſſitudine, non miſcetur miſerijs, nec in appetituum continentia tanquàm iumenti ſeſſor modò ſtimulis,modò loris occupatur. Altius te vehit: lectio & oratio [leuant te ſupra te.] Lectione Deus nobis loquitur, oratione nos Deo.

Quatuor virtutes Cardinales.

Virtutum aliquot actus.

Thren. 3.

Age,

Age ergo, aude, Chriſtiane, macte animo orator; ecce operis tui complicem, ecce auditorem. Certè apud nos non magni Magnatum alloquia præſtolantes, etſi non referant, redeunt tamen, & denique deſtituti deſiderijs ducũt dignitati repulſam. vſque adeo CVM MAGNIS voluiſſe ſat eſt, etſi nil vota ſequatur; & quanquam perdere ſit pudor, ipſe ambitus eſt honor, quoddam operæ pretium eſt potuiſſe lucrari. Quid ergo nos faſcinat, aut vbi quæ dicitur cæca eſt ſuperbia noſtra, niſi neglectu orationis, per quam Deo ſumus non ſupplices modò ſed complices, ita quodammodò pares.?

Honor eſt magnatibus colloqui.

IX.

Multum audeo (Auditores), ſed cui lenta fides, qui forte diffidis obijce huic volubili Soli ſiue ſolidum marmor, ſiue liquidas aquas; reddent vtrumque quod receperunt illuſtri imagine quanquam parua maiorem. Et credemus quia gratia naturâ ſit ſegnior, vt orans & obiectus Deo ſolem illum ſuſtinere poſſit non ſimilis, vt non referat ferientem, & arctetur vlla

Lauia & liquida ſolem exhibent.

anguſtia conditionis, quin immenſam maieſtatem ſinu ſuo ad ſimilitudinem exhibeat, etſi ad æqualitatem non amplectatur.

Oratio aſſimilat Deo.

X. Adhuc autem hanc orantum metamorphoſim ſi quis dubitat, ſi quis deſperat, ſubeat mecum mõtem, ſiue illũ Thabor, vbi Chriſto Moyſes; ſiue Sinai, vbi Moyſi Dominus apparuit. Ibi gloriam orantum videbit, eo vſque prouectam, vt non poſſit videri. Ibi Dominus, quia paululùm [regnauit, decorẽ inductus eſt]*; vultu ſolem, veſtitu niues expreſſit; fulgore oculos perſtrinxit, ſtupore mentes, voluntates voluptate; Totum oratione adeptus, [dum oraret, transfiguratus; non exuuijs vetuſtatis, ſed nouæ formæ acceſſu certe nouæ dignitatis, vario luminis apparatu, quo aliàs Moyſes non modo ornatus, ſed armatus apparuit aculeata facie [pulcher vt Luna] quando cornibus terribilis intuentium aciem reuerberabat. Sic alloquium imprimit oranti conſortem, & oratio numinis eſt illius aliqua participatio.

Pſal. 92.

Luc. 9. v. 24.

Cantic. 6.

XI. Intellexerunt hoc fictiliũ Deorum

rum ſupplices, quorum quamuis ſimulato conſortio honores acceſſerunt. Heſiodus famam accepit credito colloquio Muſarũ, Pindarus Panis, & huius Vrbis legifer Numa Pompilius, vt ſibi authoritatem, legibus obſeruãtiam conciliaret, ſparſit vulgo nocturnos congreſſus cum Ægeria Dea. Adeo vmbra orationis eſt vſui, & PALMAM vbique habet, quod diuinum eſt, etiam quod apparet. *Ethnici vt voluerint videri Diis familiares.*

XII. Et quid ei dabimus quæ titulum ſuum impleuit? quæ [adorat in ſpiritu, & veritate,] quæ certiſſimè ſiſtit nos Deo, etiam implicat & inſinuat, in qua tanquam in theatro poſiti ſoli licet & ſinguli agimus adhuc ſiue multorum perſonas, ſiue vnius multa officia. In illâ ſiquidem iuſtitiæ partes ad alterum ſine altero explentur, & abſque ambitu actorum variatur multitudo operum viciſſitudine, abſoluente paucitatem. Ibi ego reum ago, Deus iudicem: ille ſententiam minatur, ego auerto; quaquauerſum ei obuoluor: ſi ſæuiat, ſuccumbo; ſi ignoſcat, accedo; ſi blanditur, arrideo; cum arriſerit, *Ioan. 6.* *Orãs quaſi in ſcena agit.*

ſerit, impetrabo; ſi quid promittat, exigetur à iudice; ſi quid exigat, prouocabitur ad patrem. Ita in circulum acti illi ſemper ſiſtimur, cui non valemus abeſſe, in eo ſolum circumducti, quod vertimur ab irato ad placatum.

XIII. Et quis ſe hoc opere non optet occupari, hoc debito patiatur abſolui? O' enthea oratio, ò diua contemplatio! nimis ſui prodigus eſt, qui tui non eſt auidus, nimis auidus, qui te non eſt contentus. In te fas cuique eſt ſiue eligere ſiue aggregare quà patrocinium principis, quà patrimonium patris, filiorum delicias, maritales amplexus, non contagione corporum, ſed conſpiratione mentium ibi celebrandos vbi Cupido eſt ſine cupiditate, & ipſa defæcata voluptas exuit voluptatem.

Fructus orationis.

XIV. Ego certè ſuper hic aliud credere non poſſum, quàm agi hic quod alibi dicitur, dum credentibus pro iacturâ temporalium promittitur ratâ parte cuiq; præter æternitatẽ vitæ centuplum in peculio, quod cum ab immortalitate ſeponitur, vtiq; in hac mortalitate ſpondetur.

tur. Etenim id in Euangelio promittitur, in contemplatione præſtatur tanto maiori fœnore quanto meliore; vbi quamuis inhians cupido deſinit concupiſcere, & homo ſuo voto felicior ipſam deniq; faſtidit ſatietatem.

Math. 19 Centuplũ promiſsũ in contẽplatione præſtatur

XV.

Cæterùm hæc contemplationis dulcedo dici poteſt, credi facilè non poteſt, niſi ab expertis, qui aliquando hoc lacte alti deinde quaſi [memores vberum] ſciunt quam ſapiat Dei ſapientia, quando in delicijs eſt filiorum. Cæteris tanquam ſeruis, quorum mercenariæ mentes lucro tantum trahũtur, illud ſaltim eſt inculcandum de oratione, quam bona eſt eſt negotiatio eius, quia multiplicat fœnora, quia numerat æra. Age ergo auare.

Cantic. 1 v. 3.

Curue in terras animæ, & cæleſtium inanis,

Perſius Satyr. 2.

ad felicitatem tuam ſtipendio cõducende dic tu tua vota: vis tranquillitatem temporis, fœcunditatem propaginis, abundantiam in rebus? voles orationem. Vis amicorum officia, inimicorum obſequia, omnium honorem? ora.

Iuuat ad temporalia bona promerẽda Oratio.

& exorabis. Et quidquid eſt quod faciat te naturæ tuæ parem, fortunæ ſuperiorem, oratione enititur, preces pretium ſunt. Et quid cui datur, ſi oranti redditur, & veluti penditur ex æquo quod poſtulatur?

XVI. Sed hæc orationis eſt excellentia, quam iam altius oportet intonare, nec commoditatem eius, ſed honeſtatem attendere, qua virtuti fœneratur. VITIA quidem omnia acria, ſed duo ſunt indomita, Vẽtris & Veneris irritamenta, quæ cuiuſq; ſanctitatem quietam mordent, luctantem fatigant; in quibus vt vbiq; in lubrico facilis deſcenſus eſt, ſtatio ardua, continua pugna, rara victoria; & tamen vt Orationi ſuccumbant intueri poſſumus ad ſpem ſimul, & voluptatem quaſi in ſcenâ celebratam apud Danielem ſuo ſimul & aliorum experimento. Nimirum vbi ipſe cum tergeminis fratribus ſimili cauſsâ diſsimili ſupplicio dederentur, illi adorationis neglectu, hic vſu accuſatus, vtrinquẽ damnati ſunt, pueri igni, propheta feris, tanquam ventri, & Vene-

Ventris & Veneris illecebræ difficile reſpuuntur.

Danielis prophetæ pœna itẽ trium pueroruм.

Veneri adiudicati, vt hunc fames, illos flamma voraret. Vtrobiq; tamen victrix oratio ſeruauit oratores; quorum erat cauſa egit cauſidicam, & vicit; monſtra auida auertens, ac ſignificata illis vitia duriora ſymbolis ſuis obiecta in triumpho circumduxit. Nimirum tergeminos confeſſores ſuccenſa ſeptuplum fornax excepit ad obſequium; extimuit ad vindictam; quorum coruſcas tiaras, & permiſſam vento cæſariem innocens ardor obiuit, nec vſſit ignis, ſed illuſtrauit. Ille autem lacu deſuper obſtructo non immerſus ſed ſepultus poterat videri, deſperato regreſſu; quem interim tamen, quia [vir erat deſideriorum] feræ depoſita feritate veneratæ prędam ſuam pronæ adorauerunt.

Puerorũ impunitas.

Item propheta.

Dan. 10.

XVIII. Ades ergo, quiſquis voles inter concupiſcentias non concupiſcere, in flammis, nonflagrare: diſce orare, diſce oratione vitia vincere, quæ quamuis contumacia tamen illi obiecta non poſſunt non eſſe fugitiua; quamuis bulliat interim libido, & fumante clibano ſeptuplum ſuccenſus fomes

Oratione carnis vitia vincuntur.

vomet infelices globos flammarum: quamuis auido rictu impotens gula etiam inediâ irritata præcipitet ad paſtum; ſed orationi vel inuita ſuccumbent, etiam armata inermi.

XIX. Id egregio vaticinio deſcripſit in Numeris Baalam de agminibus

Num. 22. Iſraël [Delebit populus hic omnes ſicut ſolet bos herbas carpere vſque ad radices] Mira pugna, inſolens victoria, vorare gladio, armis, & arcu bella bellantur, nec eduntur hoſtes, ſed cæduntur, & quomodo Hebræi eſuri? Anne cadaueribus corui incubabunt? ſed vt agant (quod abſit) furient fruſtra, nec illos, ſed exuuias mordebunt, cùm nemo apprehendere poſſit abſentem: & tamen certiſſimè deuorauit hoſtes, ſicut ſolet bos herbas carpere vſque etiam radices, notum quemadmodum, non cornibus, non calce, non impacta vngula, ſed ore.

Iudæi quomodo hoſtes ſubegerunt.

XX. Ita ergo delebit myſticus Iſraël, populus cõtemplantium, hic eſt Chriſtianus, cui hæc figurâ fiebant: ita dico, delebit hoſtes ſuos ſicut ſolet bos herbas carpere, non haſta, non

arcu, ſed ore, orationum prælio, quo etiam mater noſtra & magiſtra Clara irruentem barbarorum multitudinē clauſtro deturbauit. VVadding.to.3 ad om. 1251.

Vbi (vt id obiter aduertam) [videre erat in Sulamite choros caſtrorū] certa ſocietate, ſed mira. Quid enim longiùs abeſt caſtris quam chorus? & tamen in Sulamite videre erat choros caſtrorū, quia nimirum oratione pugnabat. Choro aciem inſtruxit virginum vocalium, qui votorum vi tanquam viri eſſent deſideriorum, quomodo Propheta [Obturauit ora leonum,] pueri [extinxerunt impetum ignis], puellæ etiam [caſtra verterunt exterorum]. XXI. *S. Claræ Orationis efficacia.* Heb.

Verum quidem eſt, verba ventum eſſe, ſed facit Deus ventis pondus] quo quandoque ſibi etiā præponderent. Notum illius Gigantis ſtratagema, qui cùm in lucta deficeret, luctanti ſubinde ſuccumbens, quaſi caducas vires humo reſumebat, vt cui primum ſuberat poſtea præualeret. Orationis typus erat, quam fabuloſa vetuſtas eo ſchemate obtexit, à nobis materiam mutuata. Ita enim Iob 28. XXII. *Antæi gigantis ſtratagema.*

enim properanti in vindictam Deo oratione innectimus moras, & quaſi apprehendimus indignatum; cui vt non poſſumus eſſe pares, ſupereſt vt fiamus ſupplices, vnde euadamus aliquando ſuperiores. & quid eſt, obſecro, aliud, quod ipſi in ſcripturis noſtris celebramus, aut quis verius Anterius, magis gigas, quàm Iacob, qui ante luctatus eſt quàm natus, prius pugnauit quàm fuit? [Cùmque deinde ex Meſopotamia in Chanaan regrederetur, ecce iterum vir luctabatur cum eo, qui, cum ſuperare non poſſet, benedixit ei.] Quid enim vobis videtur (Auditores) quantus eſt hic qui vincitur, & tamen benedicit? Certamine impar eſt, ſacramento ſuperior, Deus vtique, qui quamuis validus, ſed oratione vincitur, lacrymis vincitur; qui quidem non eſt, ſed apparet minor, nec ſubditur votis noſtris, ſed ſuccumbit, quorum precibus ſtatuit ipſe, ſi minus pati, certe facere ſibi violentiam.

Iacob expreſſit.

Gen. 32.

XXIV. Accedamus ergo, vt accipiamus, certè enim nihil nobis deerit, niſi nos ipſi; & quiſquis adhuc laborat

borat, quocunque interim eget, ſuâ culpâ eſt miſer; Deus enim & Pater vota noſtra non excipit tantum, ſed expectat, & quaſi ſua referat quòd concedat, ipſe ad petendum inuitat. Audiamus illum in parabolis quaſi paruulis blandientem, vt velut obiecta oſſa & ludicris lenocinijs, ſi minus charitate, certè cupiditate trahamur. Inde etenim ſe illa panum propoſitione occupauit, excubijs noctis, ſeruili miniſterio. Ecce illum ad vilia vigilantem, vt panes petenti non permittat tãtum, ſed præbeat: excuſantem ſe nec excuſatum, quin adhuc debeat deferre non tam meritis quàm miſerijs, quibus pertinax ille aduocatus diuinas aures fortius quàm fores pulſauit. O! etenim quam dare voluit, qui ad hoc ipſam docuit opportunam eſſe importunitatem? quam noluit negare, qui qualiter ſibi extorqueretur, oſtendit, & diſſimulata munificentia veſtit neceſſitate charitatem, vt gratiæ collatio non donantis pietas, ſed ſupplicis videatur improbitas.

Deus libens erogat orantibus ſua.

Luc. 11. *Quis veſtrum habebit amicum, & dicet ei commoda mihi panes &c.*

Su-

XXV. Sumite, aſſumite animos (Auditores) NVLLVS Deo importunus eſt, nemo præſumere poteſt, illius beneficia ipſi nobis arctamus. Subeat puſillanimis illa Alexandri magnitudo, qua cuiquam filiæ dotem poſtulanti multiplicauit poſtulatum; & cum pater parte eſſet contentus; Totum (inquit) tenebis; minus quidem tibi ſat eſſet accipere, non item mihi dare. Et tamen Alexander quamuis Magnus, infra ſummum

Alexandri Macedonis magnitudo.

XXVI. fuit vix veſtigium Dei: cui quis nõ videat quàm impium ſit precibus noſtris modum ponere, aut illius maieſtatẽ noſtra miſeria metiri. Quiſquis es ergo ora quod expedit ſubſidium miſeri, dotem indotatæ: Deus non dabit tantum, ſed reddet multiplicatum, & laxabit Tibi te ipſum, vt plus capias quàm cupis maior te ipſo effectus: vota quamuis auidà non excipiet tantùm, ſed excedet.

DIXI.

PA-

PANEGYRICVS SEXTVS.

DE LAVDIBVS PHILOSOPHIAE.

Pro auſpicanda illius Lectione.

CVM expenderem conditionis meæ nouitatem, qua ex ſubſellijs in ſedem hanc (Auditores, ſcitis quã inuitus) aſcendi, aliter animum ſiſtere, aſſenſum impetrare non potui, quàm vt denique darem me communi metamorphoſi mutandum. expertum vtique nihil eſſe in Mundo immobile, quin omnia continenti ſuo cognata in orbem cum Orbe rotari. Ita infans paululum fit puer, hic etiã adoleſcit, adultus altiùs aſpirans vult vir eſſe, debet ſenex, denique decrepitus, bis puer iteratâ infantiâ, vltimum exordio terminabit. Arundo fit arbor, fons tumet in fluuium, filij fiunt parentes. pri-

I. *Author ex diſcipulo ex templo ſe ſtor.*

II. *Viciſſitudo ætatis*

priuati; deſinunt in Magiſtratus. *Inconſtātia rerū.* Ita OMNIA in tranſitu ſunt non mota ſolùm, ſed mutata, aliqua fortunæ impetu, omnia fati.

III. In hanc ſcenam ego cum inferrer, fruſtra ſtatum ſperarem ſed ſubiui viciſſitudinē eo minus grauem, quo accepi, quod optimum habet inconſtantia, incrementum. Vnde iam iuniorum neceſſitati obnoxius, ſeniorum imperio obſequutus, volui etiam volui, & induxi eum viribus voluntatem, vt decurſo curriculo ſtudiorum non quietem meditarer, ſed ſtadium repeterem, & à meta exorſus inde docere inciperem, vbi diſcere deſijſſem. vt imbuerem adoleſcentiam, quam exceſſi, & cum fructu depromerem, quæ labore congeſſi, ideo vtique congerenda; Et quia ſubiui primum illud, ſubterfugere non potui quod conſequens, aut præuium potius eſt; vt de illius quod acturi ſumus natura, vtili, dignitate, differens nouellis militibus ad Dialectica certamina quaſi claſſicum intonarem; & peregrinæ adhuc Philoſophiæ, ac longo difficultatum receſſu à popu-

In S. Iſidoro legis eſt profeſſores a nte lectionem pero rare.

populari ſenſu reconditæ, orationis præludio quaſi ex aditu in adyta facem præferrem.

At quæ illa adyta? quam lucifuga antra, quorum opus eſt aut confuſioni filum, aut caligini facem præparare? Iſta vtique quam petimus Philoſophia. ſcitis enim quia ſapientia diu profuga denique [ædificauit ſibi domum]. & quis ibi obſtupeſcat implicitos paſſus, multiplices Mæandros vbi ſapientia non modo incola eſt, ſed artifex? Olim in Creta Atticus faber antrum immane extruxit IV. *Philoſophia obſcuritas.* Prou. 9.

— *parietibus textum cæcis iter*: ambagibus, occurſibus, & repetito recurſu Phrygia magis tela,, intertextum, quo cum fatigaſſet ,, regni vires, laus maior erat artificis. Et quale exſpectamus non artificis ſed artis inuentum? ſuſtinete duntaxat, vt quà fas eſt ſimulachrum eius ſiue ex fide formemus, ſiue ex tabulis eruamus. Et quidem tria accepimus ſibi ſuppara, cæteris ſuperiora monumenta regiarum. Vna illa Virgil. 5. Æneid. Plin. lib. 36. Nat. V.

— *Solis erat ſublimibus alta columnis* Ouid. 2. Met.

Clara

Graphica deſcriptio regiæ ſolaris.

Clara micante auro, flammaſque imitante pyropo:
Cuius ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat,
Argenti bifores radiabant lumine valuæ.

Et cætera apud eundem tantæ curiæ pari cothurno decantata. Alteram hæc ipſa vrbs Roma exhibebat à Pallatio ad Exquilias vbi domus aurea Neronis ſolarem modo, materiâ, motu quoq; æmulata, ſolam inde lucem mutuabat.

VI. *Sueton. in Nero c. 31. Domus aurea Neronis pariter deſſnita.*

Ipſam meliori fide aliunde audiatis. Veſtibulum eius fuit, in quo » coloſſus 120. pedum ſtaret, ipſius » effigies Tanta laxitas, vt porticus » triplices milliones haberet. Item » ſtagnum maris inſtar, circumſep- » tum ædificijs ad vrbium ſpeciem. » rura inſuper aruis atque vinetis & » paſcuis ſyluiſq; varia cum multi- » tudine omnis generis pecudum » ac ferarum. In cæteris partibus » cuncta auro lita, diſtincta gem- » mis vnionumq; conchis erant. Cæ- » nationes laqueatæ tabulis ebur- » neis verſatilibus, vt flores fiſtulis » & vnguenta deſuper ſpargerentur » Præcipua cœnationum rotunda »

quæ

„ quæ perpetuo diebus ac noctibus „ vice mundi circumagerentur. Et hæc iſte fecit, quibus quum (Dædalo magis) fatigaſſet imperij vires, minus admirationis quam inuidiæ conciliauit. *Motum orbiũ cæleſtium imitatur.*

VII. *Pallatiũ Salomonis.*

Meliori pompâ, minori luxu Hebræus monarcha ſcientiæ pariter ac potentiæ ſuæ maieſtatem baſilicæ fabricâ celebrauit; quam pro certitudine ex ſacris, pro magnitudine exteris hiſtorijs proferamus. Et vero vtrique ſat eſſet, vel temporis periodum premere huic operi impenſum. Domum enim Dei diſpoſitis annorum calculis quarto regni auſpicatus eſt, vndecimo perfecit: ita ſeptem totis expediuit. Baſilicam vero totis tredecim bis ſeptem annis vno minus expleuit. Et ò Deus optime, ò immortalis, da dicenti oratione aſſequi, corde credere, animo metiri; quale, quale operis portentum, quod Salomonem architectum, Tyrios opifices, templi tempus numerans, duplum „ occupauit? Splendidiſſima triclinia referta auro, aurea ſupellectili ad omne regij conuiuij miniſterium *Quando? & quamdiu extructum?*

VIII. *Ioſaph. lb. 8. de Antiqu.*

rium

rium inſtructa. & ne materiæ de-
fuiſſe opus dubitetis, Tribus ordi- „
nibus aulæis babylonicis prætexe- „
batur, quartus ſculptorum admi- „
rabile artificium oſtentabat, in „
quo efficta variæ arborum & plã- „
tarum ſpecies frondibus & flori- „
Mentita florum emiſsio bus tanta ſubtilitate expreſſis, vt „
agitari quodammodo viderentur. „

IX. *in pãllacio Salomonis.* Sed quorſum in his aut teſtes aut tempus producimus? quibus diuina fides amputauit exordio occaſionem, quando [fundamentr domus ex lapidibus pretioſis] prædicauit, [lapidibus magn is de
3.Reg.7. cem, ſiue octo cubitorum]. Dignum ſane Salomone architecto tectum, rege baſilica, Eccleſiaſte academia; digna muſis ſacraria, non habitura dubium niſi habuiſſent æmulum ſiue Solis ſiue Cęſaris amphitheatrum.

X. Sed quid cui præferamus (AA?) altera regio ſitu pręſtat, altera ſacramento. Si ſedem attendas, illa Solis erit ſapientiæ, quia cæleſtis; Cæſaris tamen miraculo præſtat, Salomonis myſterio. Nimirum iſte etiam actione docebat cuius opera allegorijs tanquam hiero-

hieroglyphicis characteribus aſperſa mira videntibus erant, vera intelligentibus. Adeo in hoc tam magnifico quam myſtico eius domicilio agnoſcemus Philoſophiã noſtram ſymbolicè circumſcriptã, loco, methodo, materia. Totum tenete: & ſuſtinete me parumper præuenientem hiſtoria allegoriam.

Fabrica Salomonis myſtica erat.

Philoſophici curſus ſymbolum.

XI.

Nimirum ego illam trinitatem domorum, regis ac reginę, & ſaltus Libani locum non ita audio vt admittam diſtinctas; nec domicilia hic, ſed ſolaria multiplicari vt cenſeam adducor ijs argumentis, quæ nunc fide melius quã auditu excipientur. Itaque tripliei ſeceſſu ſuccedẽtibus ſibi laquearibus pallatium præſtabat. Primũ imum erat atrio fere occupatum, columnis innixum, arcubus apertum, fornice arcuatum, circumferentia ambitioſum in qua artificis inſperſum ingenium primam curſus partem Logicam adumbrauit, tribus eis porticis totidem huius partibus aſſignatis. Enimvero Dialectica triceps eſt, quomodo intellectus, cui tanquã

An Salomon præter templum tres domos extruxerit? Vide Pinedam in præuio Salomone lib. 5. cap. 6.

Logicæ typus.

XII.

pæda-

pædagogus aſsiſtit informando, primò apprehendit obiecta, tum diſcuſſa iudicat, & denique iudicata miſcet; ex quorum vario complexu, ſitu, ordine, aſpectu, diſcurrendo noua colligit, vetuſta confirmat: vera diſcit, indigna refutat. Sic nimirum in huiuspalatij ſacris monumentis. [Porticum columnarum fecit Rex Salomon; porticum quoque ſolij, in quâ tribunal fecit, & alteram porticum in facie maioris porticus.] Hic introitus erat baſilicæ, quomodo nos curſum à Logica auſpicamur: In quo nota dignum eſt quod ſolium iudicij aut domuncula in qua ſedebatur ad iudicandum, in media porticu erat. ita enim actibus intellectus iudicium medium eſt, partibus Logicę hermenia. & quomodo regi ſiſtebatur in porticu populus vbi cauſas quaslibet ille proponebat, iſte prehendebat; ſic Logicæ, ſic intellectui primum objiciunt ſe ſingula ſuis quæque quaſi armis prædita, argumentis inſtructa; Subſtantia ambitioſo accidentium ſatellitio circūfuſa; Accidentia ſuis quæque mini-

3. Reg. 7.

XIII. *Tribunal Salomonis vbi ſtatutum.*

Subſtantia & accidentium conditio.

miniſterijs addicta; *Genus* ſpeciebus imminens, *Species* ornatura Indiuiduum: *Proprium* ſubſtantiam ſibi vendicans, *Accidens* diſtracturum ad omnia. Omnia his vſibus apta magis quam admota; cum interim apparet in domuncula & in ſolio ſuo tanquam in Areogapo Iudicium lata ſententiâ ſua ſingulis aſſerens; generibus differentias, propria ſpeciebus, indiuiduis multitudinem, ſubſtantijs accidentia. Et factum: Illam omnia ambiunt, & ſuis quæque obſequijs adoratam, vſibus inſtaurant. Illam *Quantitas* laxat in auguſtum, vt magnitudo maieſtati conducat: *Qualitas* docet & delectat, ſenſuum oblectamẽtis, animi ornamentis. *Relatio* ingenioſa magis quam vtilis, nihil addit, omnia ordinat, & Subſtantiæ principatum venerata, aliqua ei ſubijcit ad dominium, alia æquat ad ſocietatẽ, plures ei præmittit ad nobilitatem, alios ſubijcit ad prolem: nonnullos opponit ad inimicitiam, reliquos componit ad pacem. Denique *Vbi* ei locum apparat, *Situs* confeſſum,

Prædicabilium Porphyrij officia.

XIV.

Accidẽtia quid ſubſtantiæ præſtant.

XV.

Prædicamentorũ deſcriptio.

Quando vitam, *Actio* arma,
Paſſio clypeum, togam *Habitus*.
Ita ad quæque paratam
Si bella vocabunt
Luc. Panag. *Miles erit: ſi pax, poſitis toga veſtiet armis*.

XVI. Et hactenus quidem licuit in porticu Salomonis typo quodam Ariſtotelis Licæum obambulare; hactenus turbæ interfuimus; nunc denique à vulgo diuiſi aſcendamus ſuperiora, vbi in mediâ regiâ naturalem philoſophiam loquacibus ſignis, ſignantibus rebus ore, aure, oculis, hauriemus, quibus ipſius obiecta paſſim offendemus loco & lege definita. Nimirum ibi cœnaculum eſt, ibi triclinium: Ibi thalami tument, ecce *Quietis* principium: Illic tela pendent, ecce *Motus* inſtrumēta. ibi *Materia* pretio pollet, *Forma* artificio, Totum miraculo. Ibi *Ars* naturam æmulata, fere æquauit; *Natura* artem indignata ſeipſam ſuperauit; *Fortunam* vtrumque. Ibi geometrum tempus, genio magis quam ingenio motum menſurabat, quando variatâ tempeſtate ſuccedebant oble-

Phiſicæ ſimbolum in palacio Salomonis.

Emblem. Motus. Quietis. Materiæ. Formæ Compoſiti Naturæ. Artis. Temporis.

obleḛamenta, ocium negotio im. ponebat quod captus obieḛis ſuis animus non tam excludebat quam eludebat agendo. Ita occupationum viciſſitudo erat, conſtantia voluptatis: illic Temporis imago, hic Æternitatis. *Æternitatis.*

XVII. Supereſt ſupremus huius regis labor, regiæ ſolarium, claſſis academiæ, in quâ Metaphyſica, ſupergreſſa naturam, exuta materiam, omnium ſingularitatum cõcretionem indignata ſcholas aperiebat. Ita enim ex ſupremo ſolario hoſpes ſub ſe naturalia omnia deſpiciens, ſupra cælum ſolum ſuſpiciebat. inferiora (quàm imminebat omnibus ex alto) ſolo communis naturæ participio agnoſcens, quadam methodo indiuidualitatibus expoliabat. Superiora vt pertingeret, non illa, ſed ſe ipſum corrigebat. nimirum cæleſtia materiæ noſtræ fæcibus, aut certè carent, aut fortè non communicant, quorum proinde aſpectui aut corrigi, aut colligi certè oculus animi debet, & quaſi optico tubo congregatis radijs ibi aſpicere vnita, quæ in noſtrati-

Metaphiſica vbi expreſſa

Abſtractio à ſingularibus

Quæ in inferioribus ſunt diſperſa in ſuperis ſunt vnita.

bus ſunt diſperſæ. Ita hic videtur
XVIII. quam aptè recurrere illud Pythagoræ olim Leonti regi editum ſatius oraculo reſponſum. Cui cùm Philoſophum definiret, illo expreſſit famoſo conuentu, quo omnis Græciæ proceres S. P. Q. concurrunt: & alius quidem cõmutatione lucrum, alius luctâ laudem, alter victoriâ palmam aucupatur: cum interim alij in eodem theatro immoti ipſorum aliquos ſibilo excipiunt, alios riſu, plures dolore, digno tot aſpectibus affectu. Hæc nimirum ſuprema ſapientia, hæc Philoſophiæ ſumma Metaphyſica eſt, quæ ſub ſe naturalis obiecta moueri videt, ſeipſam quieſcere gaudet. Aſpicit ſiquidem exinde mare fluctibus tumultuoſum, terras halitibus concuti, auram aquilonibus miſceri, ipſum cælum ſemper properum, etſi nunquam præcipitatum. Hæc hoſpes ex aprico illo (Metaphyſica ex alto) videbat; nihil agens, omnia intuens, ita cuncta quiete complexus vt niſi cælo ſuccederet abſortus in æternitatem nec minus agere poſſet, nec plus

Metaphiſicam vt Pytagoras ex prefferit.

Tumultus ſub lunarium.

plus aſpicere,quo modo certiſſimè Metaphyſica nequit niſi à ſacra theologia doceri.

Metaphiſica proxime infra Theologiam.

XX.

Et hactenus ſatis (Auditores); hucuſque in hoc ſapientiæ domicilio hoſpites quamuis Argi,quamlibet attenti, ſigna magis quam res vidimus, certantem arti allegoriam, varietati ambitus diſcrimina ſcientiarum, materiæ magnitudinem, pretio caritatem. aurum vndique & vndique gemmas, quorum fulgor oculus perſtringat, fides auditum, ſignificatio intellectum. Iam libeat pauliſper virtutem ſapientiæ notare & ſaltem ſupponere vtile duici, vt quid iuuet videamus, iam docti quàm delectet. Ego vt mihi parum admodum philoſophiæ conſcius, ipſam compendio perſtringam:& (quod Alcæus præſtitit in Leonis pictura)deterrimam eius partem quaſi vnguiculos qua terram tangit, vtilitatem expendam. Si tamen: Quis enim? nam quid in vlla Republica vel priuata eſt lucri aut præſidium aut inſtrumentum,quod non debemus Philoſophia acceptum? An non Mathe-

Vnde illud Ex vngue leonis.

XXI.

Philoſophia in repub. vtilitas.

matica architectos, Aſtronomia agricolas, Phyſica medicos pepererunt? Quid ſine Oeconomia familiæ, ſine Arithmetica contractus, ſine Geometria mēſuræ ſtetiſſent? Quid arietes in nauem mutādis mercibus dolatæ] profuiſſent, niſi fuiſſet quæ dictaret nūc portu ſoluendū eſſe, nunc vrēdū? has cælo ſtellas nunc oriri nūc occidere? illas boni ominis eſſe, alias noxias? eſſe Pleiadas ventis fœtas, Orionia imbri:? eſſe duas arctos

Ouid. l. 4. Triſt. Eleg. 3.

—— quarum regit altera Graias,
Altera Sidonias, vtraq. ſicca rates.

XXII. Ita ipſum nauigium (non ſolum nauticam artem,) & cæteraquorum quotidiano vſu viuimus philoſophis inuentoribus adſcribas: nam cum vniuerſa hæc non tam inuenta quàm addita ſint, (vt vbique ars naturæ ſimia eſt,) excellentis certe indolis partus eſſe debuerunt. Quid quod philoſophus Anaximander rotam figuli prior excogitauit, Democritus fornicē, Thales vmbram pyramidem gnomonis, Minerua lanificium, & cætera quæ his (ſi oratori mæchanico videri conueniret) poſſem

Ars naturæ æmula.

Inuentores rerum Philoſop. Vid. Pol. virg.... ſerm. 11.

ſub,

ſubiungere. Verbo, an non dudum de homine actum fuiſſet, niſi fuiſſet quæ doceret naturæ motibus nunc ſuccurrere, alias occurrere? Et demum quo homini futurus erat titulus ille vniuerſalis dominii quo cætera animantia cõplectitur, ſi ex rebellibus cicura facere non poſſet, nec procurare, vt arte, vi, dolo manſueſcerent.

Philoſophia naturam noſtrã corrigimus & alienam domamus.

XXIII. Ergo Philoſophiæ debemus ſi nõ quod viuimus, ſaltẽ quod commodè viuamus quod naturæ ruditatẽ, animantiũ feritatẽ, tẽporis iniurias correximus. Totum à Philoſophiâ, minimũ tamẽ eſt acceptũ. Hæc ſcilicet Oeconomica, Ethica amplius dedit: illa vt cõmodè viuamus præſtitit, hæc vt bene. Hæc moribus normam dedit, rebus ordinem, affectibus modum. Hæc nobiliſſimum animal cicur reddidit ac ciuicum, ipſum cætera. Et vt chriſtianè loquar, miraculum eſt, quantum non ſolum conſilij, ſed & auxilij cõtulerit ad virtutẽ.

Politia & probitas à philoſophia.

XXIV. Quotuſquiſque enim noſtrum, qui Euangelio imbuimur, tam heroica virtute glorietur, quam gentiles poſſederunt? Quis Socratis con-

Notabiles quorundam Ethnicorum virtutes.

continentiam, Fabritij fidem, pudicitiam Scipionis, Frontonis
XXV. grauitatem, Catonis pietatem
Thaletes caſtitas æquauit? Quem non confundat
Volater. illius (itam dicam) libido caſtitatis, qui nec conſilio, imperio, fraude, vi, cogi poterat ad coniugium, & parentis importunitatem eluſit dum iuuenis eſſet, adhuc tempus eſſe, dum effœtus iam non eſſe, reſpondens. Cuius paupertatem non deprimat illa Dio-
lLaert. l.6.de vi. phil. genis Cynici appetentia penuriæ, qui cum aliquando vidiſſet puerũ cauâ manu ſorbentem aquas, fregit protinus exemptum perulâ calicẽ, & ſibi indignatus, quàm diu (inquit) homo ſtultus ſuperuacuas ſarcinulas portaui? Quotuſquiſq; Anaxarchæ fortitudinem aſſequatur, quem cum Nicocreon tyrannus in mortario piſtillis contundi
Idem.l.1 cap.10. iuſſiſſet, Tũde, (inquit), tunde Anaxarchæ manticam, non Anaxarcham tundis; & cætera eiuſmodi, per quæ ſi tempus properantem pateretur excurrere, addere poſſem quæ à pleriſq; noſtrũ vix ſatis admirationis nedum imitationis eſſent habitura.

Vnde

Vnde factum eſt vt Philoſophi apud principes viros quam maximis reuerentiâ, honore, pretio ſint habiti. Philippus Macedo nato Alexandro Dijs bis gratias egit, ſemel pro pignore, iterum pro præceptore. quòd in Ariſtotelis tempora Alexander incidiſſet. Nec degener Alexander, à quo parum aberat vt Diogeni vnius dolij domino, ipſe Orbis domitor inuidiſſet. Et Auguſtus Cæſar poſtquam Aſiâ ſubactâ Alexandriam acceſſiſſet, cinxit, terruit, concuſſit vrbem, & cùm iam victoriæ eſſet vicinus, memor vnius Arij Philoſophi, cuius ibi buſtum iacebat, in ipſo æſtu certaminis, ad ſuos, State, (inquit), milites, ceſſate, ſatis hucuſque bellaſtis; & quamuis rebelles vel inuitos denique ſuſpendit à pugna. ita religioni duxit Philoſophi reuerentiam vt nollet Alexandriam euertere, ne cogeretur Arij cineres violare. Aſſirij reges Philoſophis primas deferebant, Perſæ etiam imperium. cætera quæcunque naturæ, fortunæ ornamenta pone ſequebantur, ſiue claritas

XXVI. Quantus honor philoſophis delatus?

Etiã poſt funera.

Philoſophi olim imperabant.

generis, ſiue formæ dignitas, ſiue opulentia rerum, ſola Philoſophia viros cæteroqui origine obſcuros, conditione ſeruos, ſorte inopes, formâ informes ex imo in ſummum leuabat.

XXVII. At videor mihi excipere neſcio quem ſcrupuloſi cuiuſquam ſibilum, qui Philoſophiæ dignitatem, honorem, vtile, neſcias quo diſcrimine aſtruat, deſtruat; afferat iis ſæculis quibus humanus intellectus naturalibus obiectis quaſi circumferentiâ contentus, nihil ſuprà infrà, extrà potuit intueri; at vero poſteaquam naturæ gratia, reuelato inuolucro ſucceſſit iam tanquam inimicam Euangelij [& altitudinem extollentem ſe, aduerſus eum qui dicitur Deus & qui colitur]. deinceps è ſcholis Chriſtianorum exterminandam.

An in fide Chriſtiana vtilis philoſophia?

2 Cor 10.

XXVIII. Horum phantaſma diluuio rationum (ſi tempus eſſet) opprimendum iam placuit compeſcere ipſorum confeſſione, ſi reſpondere velint, quid conſultius in caſtris diſponendum ſit de hoſtilibus telis quæ obiectis clypeis victor exercitus excepit? verum ignibus ea

Aduerſaria Chriſtianæ philoſophiæ conuincuntur.

ea inijcere oportet in hoſtium odium, an in interitum reſeruare? Scio vltimum hoc acturos. At qui tale hic agitur: Inimici religionis Chriſtianæ iurati ſunt gentiles; quod iſta docet, iſti damnant, & rationum inuentis nunc impetũt, nunc irrident, quanquam fruſtrà. Sed nunquid propterea Eccleſia inſoleſcere debuit, & inimicorum tela naturalia argumenta, odio authorum demoliri? abſit, ſed recondidit quaſi ſagittas in pharetra, vt in hoſtes poſſet iterato iaculari, & iam ſint [arma militiæ noſtræ] quæ quondam erant inimicorum. XXIX.

Eccleſia vtitur ijs argumentis quibus eſt impetita.

Non nititur fides phyſicis aut metaphyſicis fundamentis, nec ſapientiâ ſapientum, aut prudentiâ prudentum reprobis, ſed verbo Dei. Verum placuit Chriſto Deo ad operis ſui gloriam admittere in Eccleſiam ſæculares diſciplinas, vt ſapientibus ſæculi arma manibus raperet, quibus eorum ſapientiam deijceret, & ſuam ijs argumentis ſtatueret, quibus eſt impetita. O' ineffabilis gloria redemptoris, ò altitudo diuitiarum XXX. XXXI. Rom. 11.

Quã conſulto in Eccleſiam admiſſæ ſæculariũ ſcientiæ.

Glorioſa Chriſti & incruēta victoria. ſapientiæ & ſcientiæ] Chriſti, qui immania & blaſphema ora non obturauit ſed aperuit, & incruentâ victoriâ ſuis ipſorum argumentis ad palinodiam decantandam reuocauit.

XXXII. Atque hæc ego veſtri ergò (nouelli Philoſophiæ alumni) apud emeritos auſus ſum perorare. *Apoſtrophe ad diſcipulos ſuos.* hactenus pro vobis, ad vos nunc dicendum, vt quibus modo, fine, medio tam excellentibus diſciplinis imbui debeatis, aduertam. Et quidem de intimo affectuum puritatis, pietatis, quam vel maximè his præmitti par eſt apparatu, merito ſuperſedeo vobis commendando, quando eum ipſe *Daniel 5.* [inuentus ſum minus habens] Vnum pro munere moneo, vt ſi quid vnquam ſeriò egiſtis, ſi cui operi operam dediſtis, huic totam impendatis: nam ſi (vt prouerbio tritum eſt), Superi laboribus omnia vendunt, & mercibus dignitate pretium accreſcit; quid non oportet eum perferre patique, qui ad naturalium cauſarum intellectum, ad ſecretorum conſcientiam ambiat admitti?

Atque

XXXIII. *Quæ arma ſingulorũ deorum gentilitatis*

Atque hinc antiqui cùm D*ijs* omnibus ſua arma ſingulis propria affinxiſſent, Ioui fulmen, Vulcano malleum, Cupidini arcum, Neptuno tridentem, Mineruam toto corpore armatam, ægide, haſtâ, loricâ horrentem poſuerunt; vtique vt deſidibus & delicatis omnem aditum ſapientiæ præcluderent, neue vnquam inermibus & ignauis armatæ & bellicoſæ Virginis pateat complexus. Hic enim (Auditores & Alumni mei) fas eſt Veneri veniam dare, (ſit venia vocabulo) & aperire occupandam cordis ſtationem æſtibus amoris, nimirum hic fas eſt ſapere & amare. Multum dixi (Auditores) ſcitis enim quam ARDVVM ſapere & amare. Hic vero inuertenda eſt ſententia, & cenſendum arduum, quin inuium ſapere & hãc non amare. Hæc eſt illa virago [ſpecie ſua & pulchritudine procedens] in quâ quæ alibi damnat concupiſcentia conſecratur.

Prouerbiũ Amare & ſapere nec Dijs conceſſum. Pſal.44. Pſal.44

XXXIV. *Philoſophia veri nominis magis amat quã ſapit.*

Hæc denique eſt Philoſophia, quæ priſtinæ vocis exuta inuidiiâ & adepta par naturæ ſuæ nomen,

non

non tam ſapere ſit quam amare, voluntati inſita, intellectui inſerta, plus nititur charitati vt ædificet, quam ſcientiæ vt inflet.

XXXV. Ergo vltimò ſumite animos, aſſumite labores, incumbite per Deũ immortalem illi operi quod plurimum vobis meriti, honoris, famæ eſt allaturum. Veſter hoc Ordo, veſtræ hoc ætates exigunt à vobis, ne tam nobile, tam commune bonum aut abiecto animo remittatis, aut remiſſo abijciatis. De me id vobis poſſum polliceri, quod quiſpiam ſibi expectare, hac me nouitate nihil innouandum: omnes omnium, ſinguli ſuum inuenient; Lectores diſcipulum, diſcipuli condiſcipulum habebunt.

***

D I X I.

PA-

PANEGYRICVS SEPTIMVS

DE NATALI DOMINICO.

VBREOR (Auditores) ne videar obſequio ipſo importunus, qui ad celebrandam infantiã adhibeam orationem. Et vbi is cui naſci eſt dici, nomen eſt Verbum, ad exemplum obmutuit, ego ortu mutus, induſtriâ indoctus, temeritate duntaxat ſilentium ſoluam; qui ſi quid etiam bracteâ orationis ad ornatum ei appenderem, in vetitum famularer oriundo deo, qui ambitioſus humilitatis à natali ſuo vndique latâ ſententiâ pompã proſcripſit.

I. An perorandũ de Natali Dominico

At enim ſcio NON cuiq; liberũ eſſe quod Princeps præſumpſit, & vniuerſim ſatius eſſe ſubditos maiorum imperia attendere, quàm exempla. Quanquam nec infans ipſe huc vſque eſt mutus, quin ad miraculũ vocalis non edidit modò

Vox præter naturã Verbo prior cũ S. Io. Baptiſta Chriſto præiuit.

dò vocem, ſed præmiſit, quæ quã-
Ioan. 10. quam aliàs vbique ſuccedit ver-
bo, hic anteiuit, ita humana vt
fuerit etiam[homo miſſus à Deo,
vt teſtimonium perhiberet de lu-
mine], quod non modò ortum
ſuum, ſed nec auroram, voluit ſine
teſte tranſire.

11. Quid quod ipſe ſi quando ſe
olim vetuit vulgari, interdictum
tempori attemperauit. vt audito-
res quod neſciebant geri ſcirent
eſſe geſtum; quomodo ſolem
illum cæli quàm citiſſimè rapitur
tranſire non diſcernimus, ſed ex-
perimur tranſiſſe. Et quanquam
ille interim oriundus non ſolum
ornatum, ſed amictum repulit
(fœnum enim ad vmbram ob-
duxit, quo deliteſceret non te-
geretur); At nos eum iam pro-
ducere in apertum debemus, &
excipere omni apparatu; operire
vt aperiamus, cùm ipſe nullo ma-
gis maieſtatem ſuam obtexit,
Maximi æſtimanda Chriſti humilitas. quàm illâ nuditate. NVLLIBI
nobis lingua amplius eſt laxanda,
quàm vbi ſuam ille perſtrinxit, vel
maxime æſtimantibus quam abie-
cit ſui æſtimationem. Tantæ maie-
ſtatis

ſtatis eclipſin par eſt nos non ſolâ fide proſequi, ſed charitate, & quadantenus affectuum trutinâ maximam dignationem præponere maiori dignitati.

Omnis eloquentiæ Dominicæ Natiui- tati impendĩda.

Adeo ſacramentum diuæ Natiuitatis oratorum omnium & excipit præconium, & vendicat obſequium, vt dicendi non ſit modus, cùm dictionis nec materia deeſſe poſſit, nec meritum. Illa omnes ſui communione complexa ſuperis gloriam peperit, terris pacem, fidem gentibus, finem vitijs, morti obitum, morbis medicamentum.

III. Et verò videntur vniuerſa quaqua verſum agnoſcere eam, & excipere non ſinu tantum, ſed ſenſu. ita interim quaſi reuiuiſcunt, certè vireſcunt omnia, ſingula in Dei naſcentis obſequium iurâuerunt. Inſigniuntur conuexa cælorũ ſtellâ fulgentiori, & multo lumine loca flammantia accenduntur: diffunduntur per quadrifidum Orbem radij rutilantiores, & multitudinem ſydereorũ ignium nouus ignis obtundit. Miratur orbis cælos nouum peperiſſe fulgorem, & in-

Orbis vniuerſus Chriſti natalem celebrauit.

B. Petrus Damian. ſerm. de Nat.

Miracula Dominici Natalis.

incommutabilem ſubſtantiam, nouitiam claritatem hoſpitare. Angelici ephæbi ſuperæ aulæ oratores generi noſtro nunciant ſalutem, imperant pacem. Magni Magi cælo ſemper ſuſpenſi ab Oriente fugitiui properant, vt Solis ortum ad meridiem aſſequantur. Præparant ſe Reges vt cum nouitate munerum videant nouam matrem, nouam natiuitatem. Sol arduus ipſe ſpicis coronatus Cererē in hac ſcenâ celebrauit, vt fidem faceret panem de cœlo deſcēdiſſe. Roma oleo manauit, vt natalem ei Martem Chriſtus natus morte mulctaret, & bello cruentam paci conſecraret. Auguſtus altare erexit nato Deo, ſoli in virgine viſo: & cæli aræ ſuæ ſtellam protinus quaſi lampadem appenderunt. Quo oſtenſo cū Deorum multitudinem Deus vnus reprobaſſet, in ſe tamen trinitatem oſtendit, auctis non ſolum ſyderibus, ſed ſole, quò addiſcamus poſſe trinitatem vnitati cohabitare, dum cernimus vt in tantâ naturæ & nominis ſolitudine Sol ipſe non ſit ſolus. Et quid horum

Sol ſpicis coronatus apparuit. Baron. Tom. 1. An. 1.

Ara cæli.

Iterati tres ſoles in cælo. Baron. ib.

In ſymbolum SS. Trinitatis.

non

non totam ſibi orationem vendicet, non totum oratorem? Sed præ omnibus feci mihi pueri nati, & pueritiæ illius delectum; libuit minorennem redemptorem admirari, vt id voluntate complectar, in quo neceſſitate contineor: vnde limes dictionis meæ eſto tempus, locus, aura, id eſt incommoda naſcentis.

V. Ergo iam denique tandem aliquando effluxit illa hora ad cuius integritatem ſingula retro momenta ſæculorum in dextram ſiniſtramque partem iactabantur; ad quam tanquam ad centrum mundani horologij pondera indefeſſo motu ferebantur; & Sol ipſe dierum ac annorum pares eoſdem curſus iterum iterumque repetebat, ſi quando occurrere cõtingeret vero illi & inocciduo Soli, à quo ipſe lucem tanquàm Luna mutuaret; circum quam quaſi cardinem omnes dies ſæculi, tam iam lapſi quàm poſtea oriundi voluuntur. & tum denique (quid exſpectatis dicturum?)

Salian. tom. 6. an. no 4032.

Ad huius natiuitatis horã ipſum tẽpus properauit.

Tum noua progenies felicibus edita fatis

Bab. Mãt. lib. 1. Parth. Marian

Deci-

Decidit in patriam luctos regnumque laborum:

V. Ex quibus laboribus imprimis expendendum occurrit, & in faſtos referendum natale tempus: ſcilicet ex tot centurijs, tot millibus annorum hanc partem ſuo ortui deſtinauit obſtetricem, ex anno brumam, ex brumâ mediam, & in mediâ brumâ mediam noctem... quorſum ſi quæſiero? reſpondebit Eccleſiaſtes quiſpiam, quia ita in figurâ præceſſit, quando huius pueri parens populus ſuæ regionis exſul, peregrinæ mancipiū, intempeſtâ nocte cælo ſuppetias impetrauit, [cū medium ſilentiū contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet].

Quale illud fuerit huic natiuitati deſtinatum?

Sap. 18.

VI. Hoc ego non abnuo quidem, ſed augeo; & qui hic non myſteria, ſed miſerias expendō, ſtatim in limine offendo tam rigidæ diſpenſationis conſilium; vt proinde illa potiſſimum ſtatione genitus ſit Deus, quando immitior aura, immanis algor, ſpiſſa caligo; quādo fugitiua lux, ambitioſæ vmbræ, terra tenebris, animantia ſomno, damnata; vt in primo ſpiritu diuinus

Cauſa deſtinati huiuſmodi ſtationis huic natiuitati.

nus puer elementorum inclementiam experiretur, & cum vitæ vſurâ mortalitatis patientiam inciperet; vt in primitiuâ vitâ diſceret quam non impunè ad nos deſcenderit, quando ex creaturis ſuis quas vſq; adeo ſuo ortu dignatur, aliquas inhumanas experitur, alias vindices, omnes ingratas.

Non impune ad homines Deus deſcendit.

VII.

Nec minus (credo equidem) vt natalem ſcæterorum infantium ploratum reæ iam conſcientiæ indicem, quem ſua illi innocentia continuit, tormenta extorquerent. O deuota ſceleri maſſa conditionis humanæ, ò iniqua nouerca, indigna redemptore natura.

Cur ploraverit Chriſtus natus.

VIII.

Et Tu ò (diuine puer) liceat enim Te mihi compellare, qui etſi incipis non deſipis, nec ignoras, ſed diſſimulas iniurias. Tu (inquã) diuina proles his mortalitatis ærumnis æternùm diſſuete quid Tibi quid animi, quid in nos amoris relictum eſt? quòmodo non te perculit, non ab incepto reuocauit tot iniuriarum tam denſus tam ſubitus imber? quo modo cùm nondum plenum vtero veſtigium eduxiſſes, adhuc oriundus non retra-

Apoſtrophe ad Chriſtum recens natum.

Gen. 38.

retraxiſti attonitus & pœnitens manum hac coccineâ vittâ imbutam tui ſanguinis olim, & cruentæ mortis fatidicam?

IX. Sed pergamus paululum ad locum natalem; iam tempus audiuimus, nunc locum intueamur.

Luc. 2. 15 [tranſeamus vſque in Betlehem, & videamus] non ſolum temporales ſed & domeſticas huius originis anguſtias, coniuratas in infantem cæli ſolique inclementias, vt plenam ei plectam de ſpinis obducamus.

Humilitas loci natalis Seruatoris.

Mich. 5. Bethlehem (ait vates quiſpiam huc ipſum alludens,) [Bethlehem terra Iuda nequaquã minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet dux], Notate oraculum: nequaquam minima, ex te enim dux. Ergo cæteroqui minima, nec poterat in toto patrimonio Iudæ ſuo ortui rex minus regiam elegiſſe.

X. Quid de priuatis penatibus expectatis? an palatium forte, cuius maieſtas capax ſit Maieſtatis, cui inuideant turres faſtigium, arces amplitudinem, Orbis varietatem, quale olim Romæ Scaurus, Darius in Perſide, Salomon in Palæſtina poſ-

Domicilium Chriſti nati quã abiectum?

poſſedit? cuius fundamenta non tam excepit, quàm execrauit ſpumans illuſtre metallum; cui porphyriticæ columnæ, tigna argentea, laquearia gemmis quaſi firmamentum ſtellis ſcintillantibus variatum; in quibus totum luxus, minimum neceſſitas, virtus nihil inueniret? & cubile naſcentis ſi ſtragulis veſtibus excultum, ſi tapetibus expanſum, periſtromatis adornatum; & in lecto infanti excipiendo ſuppoſitæ ſi leues plagulæ, ſi Phrygiæ veſtes, ſi cunis circumductæ textiles & bracteatæ auro cortinæ? Horum aliquid, an omnia? Sed ſcio meâ definitione hic nihil eſſe vſum, hiſtoria illuſtris eſt: qui hic dubitat non hæret, ſed errat: non ambigit, ſed ignorat, Nihil in hunc natalem ex barbarico luxu, nihil ex Romanâ ſuperbiâ tranſiuit.

Cubile Chriſti nati, quale?

XI.

Hic Rex eſt, nec in regia, Sacerdos ſine baſylica, Auguſtus extra palatium: & quid dico palatium? non diuerſorium habet: antrum informe, olidum, obſcurum, ſitu ſqualidum, vetuſtate dirutum, ſtramentis opacum, cum muro immu-

XI.

Chriſtus natus omnis loci apparatu deſtitutus

immuratum, tecto intectum, rimis in feneſtras, hiatibus in oſtia diductis, ruderibus hinc inde transuerſis non iam minans, ſed agens ruinam; ſibi graue, ſuo pondere laborans, ipsâ fabricâ fatiſcens. Denique temporis inclementiæ non arcendæ, ſed accerſendæ induſtrium, quando hoc ſolum regale vendicabat, quod vndique patulum nulli auræ præ-
XII. cludebat acceſſum. Ergo hic rex regum, hic Sacerdos ille magnus, hic orbis Monarcha voluit cunas ſuas, voluit partum celebrari,

——hic illius arma,
Hic currus fuit, hoc regnũ gentibus.

Virgil. 1. Æneid.

Stabulum & in ſtabulo præſepe; medius duorum animaliũ infans. Et quæ expectatis animalia? non bella non blanda, nec delicijs aut captandis, aut præſtandis idonea, ſed prona, torua, oneribus ſuſtinendis mancipata, bucula & rude pecus aſellus. Mugit illa, tudit iſte,

Animalia Chriſti conſortio cõſecrata.

Vagit infans inter arcta
Conditus præſepia.

Nimirum hoc miſerijs eius ad cumulum

mulum, hoc ſpinoſæ huic plectæ ad coronam defuit, vt recens natus non recentem auram, non puram, non propriam, ſed animaliũ iugo vix depoſito anhelantium, olidum halitum reſpiraret. Sed ſi ille hinc infelix, vos certe fortunata; ſi ille miſer, vos beata tam diuini oris dignata aſpectu, hoſpitio fælicia, obſequio dotata:

Fortunata ambo, atque omni prælata ferarum B.Mart. lib. 3. Parth. Mar.
Et pecudum numero, ſeu ſit quæ lactea Cyro
Vbera porrexit, ſeu ſit quæ lucet in aſtris
Hirta Iouis genitrix, ſeu ſit quæ pauit Iberum
Cerua ducem. Cedant Phrygii qui ſancta leones
Plauſtra Deum matris ſubeunt, Bacchique miniſtra,
Et lupa, quæ geminos aluit Mauortia fratres.

Et quid me hic facitare iuuat (Auditores) niſi in admirationem reſolui, & primam querelam de temporis importunitate, iterum ſuper loci temeritate geminare? Proh igitur Deũm atque hominũ XIII.

Alia apostrophe ad Chriſtū natū. fidem, qua iſti nihil ſunt veriti, ille nihil eſt dedignatus! O hyſteron proteron, ò metamorphoſin nunquam pro merito notatam!

XIV. Tuque iterum iam oriunda diuina proles, quomodo non concuteris, nihil moueris, quando in perniciem tuam Orbis noſtræ elementa iurarunt? Tibi non aura, non terra fauet, nec tempore Te, nec loco dignantur. Mihi vnum modò reſponſum eſt ſuper; hic non fortunam eſſe, ſed fatum; nec accidentia ea fuiſſe, ſed diſpoſita, licet miſerè non temerè, etſi immerito, non ſine causâ; quam cū aperuero, non iam oratore, ſed Theologo defungar, ne qua ſit ars, ne qua facultas, quæ non etiā in huius pueri obſequijs, tantæ maieſtatis apparatu ſaltem lacinijs ſubleuandis occupetur.

XV. *Infantia & labores Herculis.* Certe ab authoribus, etſi infidelibus, fide dignis traditum eſt Herculem Alcidem inter tot mōſtra etiam monſtruoſi maris domitorem, qui bis-ſenis trophæis zodiacum triumphalem in cæleſtibus ſibi præparauit, recens natum anguibus in cunabulis com-

miſſum

miſſum. Quid? niſi vt à teneris aſſueſceret offenſis, & maturâ experientia diſceret contraria non ferre, ſed ſuperare? Quam deinde diſciplinam alij ſuis infantibus, ſi quos bellicis ſtudijs deuouebant, extemplò & cum lacte propinabant. Lacenæ matres, gens bello nata filios in ſcutis pariebant. Auguſtiſſimus infans honorẽ ſuo nomine circũducens in cunis Cõſul

Duris aſſueſcere quam vtile.

Honorius Imper. in caſtris infans.

. . . . *reptauit per ſigna puer*

Cl. Claudian. de 3. Conſ. Honor.

& ipſe Romani nominis & imperij origo, vbi natus à fortuna expoſitus eſt, huic potentiæ præparatus? in Tyberi, vndis & auræ.

Romul. expoſitus.

Et cur non, obſecro, hic etiam ſi minus iudicio, coniecturæ ſit locus, vt proinde credamus Chriſtum recens natum his extemplo miſerijs expoſitum, his ærumnis iactatum, vt properâ patientiâ diſceret incommodis non conteri ſed contraire, tanquam ſudes per ignem ictibus & inferendis & referendis præparata, vt corpori callum, animo conſuetudinem obduceret, ne quid deinde ſubitũ expaueſceret, ne quid graue recuſaret: eoque magis quòd ipſe

Tit. Liu. lib. 1. L. Flor. l. 1. c. 1.

Cur Chriſtus ab vtero ſtatim ærũnis obnoxius.

ea murus, & antemurale.

Et quo vrbi muri, quod opus, quis vſus? multus & multo plures. XVIII.
Enimuero ſi quæ obſidio, ſi quæ illi violentia imminet, vbi primùm hoſtiles inſultus, vbi aduerſi ictus, iacula, lanceæ, tormenta exploduntur niſi ad muros? vbi pluit igniferis globulis liquefacilis imber? quid vellicant baliſtæ, quid pulſant catapultæ, quid arietes conquaſſant, niſi murum? Nimirum ſui ille obiectu hoſtes, & hoſtiles auſus à ciuibus non ſarcet ſed diuidit: ita hæc ab illis continens vt ſibi afferat, qui vt illos periculo eximat, ſeipſum exponit. Et ſi quid horum irrito conatu ſcopum vel non attigit, vel vel tacto reſiluit, cui væ, niſi antemurali? illac & rati & irriti ictus peruehentur: illi vegetus & piger hoſtis eſt noxius; & ecce munitæ vrbis quam miſeri muri; at quidni quando illius munimentum huius miſerijs conſtat? Quid ergo nouum ſi Saluator nec ſaluus eſt, quando murus eſt munitæ Syonis? Hinc illi iſtæ temporis, loci, rerum omnium penuriæ:

Quam tereſt vrbi murari?

Etiã antemurale.

XIX.
Chriſtus Dominus inſtar muri eccleſiæ.

iniuriæ : hinc ille recens natus iam vtero fuſus riget frigore, humet rore, canet pruina, tremore quatitur, nuditate patet, manat lacrymis, doloribus vagit, infantiâ obmuteſcit.

XIX. At iam recenſendis huius natiuitatis miſerijs in coronam deducta eſt oratio, iamq; nequit clauſa concludere, nec repetito exordio perorare. Enimuerò iuuat hic non linguam mouere, ſed manum, & ad auditorum doctrinam, quæ in epilogis lege locum accepit inſtar ſui olim prodromi ipſum vobis digito demonſtrare quaſi exclamantem, quod ſuper eodem olim ſpinarum ſerto ad ludibrium ornato iudex exclamauit: [Ecce homo.] Aut quomodo cæleſtis
Ioan. 19. Pater quando in Iordane eum laureâ doctorali donauit [Ipſum audite.] Ecce homo, ecce ſacræ
Matt. 17 Theologiæ doctorem, ipſum audite. Hodie ſcholas in Bethlehem

XX. *Christus hic agit profeſſorem & prædicatorem.* aperuit. Non iam Athenas, non in Ægyptum, nec Damaſcum opus eſt proficiſci vt ſapias; non porticum Zenonis, non Ariſtotelis ambulacrum, nec Platonis Acade-

cademia, antrum Bethlehemiticum petendum, celebrandum eſt. Ecce pluſquam Ariſtoteles, pluſquam Plato hic: Stabulum vertit in ſcholam; ſtabulum academia eſt, præſepe roſtrum, doctrina humilitas, eloquentia infantia, argumenta exemplum. *Academia eius in Bethlē*

XXI. Hic Deuteronomij noua lex mundo, nouo modo ſine ſono & ſtrepitu profertur, & ipſius exemplo, tabulis cordis inſcribitur; vt ſi pati pigeat, ſaltem compati non detractemus; ſi premi nolimus, comprimi non recuſemus; & qui pungi nolit, velit certe compungi; qui cæteroqui crucifigi non ſuſtinet, ſaltem ſe configi patiatur ei, qui pro omnibus nobis hac cruce ſuſpendi voluit, hac plectâ coronari. Accedamus, chariſſimi, frequentes hanc ſcholam, audiamus hunc Doctorem; facilè hic eſt non dico proficere, ſed perfici. VnicumVerbum duntaxat diſcendum eſt, & id ipſum abbreuiatum. Accedamus, legamus in hoc libello, in hoc Verbo abbreuiato ſummulas ſapientiæ, contractam in compendium Philoſophiam, *Exemplo docet.* *Illo omnes conuincit.* *Cito diſcitur Chriſto doctore.*

honoris deſpectum, imo fugam, penuriam commodi, patientiam calamitatum. Nam quis deinceps Chriſtianus cõfundatur cõfundi, quando ita abiectus eſt Chriſtus? quotuſqniſque niſi inſanus altior ſuo capite volet aſſidere? quis denique calicem paſſionum non ebibat propinante Deo?

* *
*

DIXI.

PA-

PANEGYRICVS OCTAVVS.

DE S. THEOLOGIÆ DIGNITATE, IN VRBE

Habitus

Cum ibidem Author legendum profeſſor aggrederetur.

DIVINAM ſapientiam ſcitis (ſapientiſſimi Auditores) dudum iam Græci fabulis, Ægyptij hieroglyphycis, Hebræi myſterijs, ſinguli variè, omnes obſcurè admirandam magis quàm intelligendam tradiderunt, cùm addiſcentem iam eſſe doctum, & ad capienda diuina oporteret diuinare. Adeo parcè eam propinabant ſeu inuidiâ, ſeu inopia; ſiuè neſcierunt ſiue noluerunt communicare. Certè non debebant verecundi â virginem aſſuetam ſecreto ſapientiam prophanis a- I.

Varia theologiæ tradendæ methodi.

 ſpe-

ſpectibus nudam proferre inde vtrique profanandam. Ergo vt ſartam tectamque tuerentur omnes omnia contulerunt, Pharij ſecretum, Graij ornamentum, Iudæi ſanctitatem. Iſti addiderunt quo laudari poſſit, illi qui latere; quamquam omnes interim doctrinæ magis quam diſciplinæ prouiderunt. Etenim VT CORPORVM venuſtatem veſtium apparatus, qui auget, abdit, & vetat videri digniſſimam quæ videatur; ita quæ antiqui quaſi flamines obduxerunt picta acu pepla Theologicæ dignitati, ornant eam & operiunt, vt addiſcentum diligentiã quaſi procorum pruritum ipſum quod irritet, accendat. Huic me aperiendæ præfectum (ſcitis etenim) paſſus ſum ego, non procuraui: illud enim obſequij erat, hoc ambitus, cui ſi me permitterem, ipſam illam patientiam retractarem. Sed enim vtcumque huc me cogi concedam, illud non poſſum non mirari, ad orandum impelli apud ipſos argumenti authores, & quaſi ſuum habenti referam id ipſum ſcientibus ſignificare

Antiquorum theologia myſtica ſed obſcura.

care

care. Quod enim ego artium decurſo curſu, deterſo puluere, iam denique gradum facturus ſim ex humanis ad diuina, & in bicipiti Parnaſſo alterum iam apicem prehenſurus, ſcio veſtrum neminē neſcire, video omnes ex me velle audire. Et quidni, obſecro admirarer cogi me actum agere, illi operi operam dare, cuius nō pretium ſperare poſſim, ſed iacturam?

Orator expedita Philoſophia lectione theologiā aggreditur.

Tandem tamen iudicaui admittendam, imo amplectendam eſſe tot locorum, tot ætatum vſu celebratam conſuetudinem, iam quaſi legitimam, certe iucundam. Nam & hoſpites ciuitatem aliquam iam iam ingreſſuri auidè tamen luſtrant in tabulis impares lineas, & lacunas domuum ac platearum illius loci indices, cuius ipſi è veſtigio futuri ſunt non iam creduli, ſed teſtes: & in theatro cum voluptate ante actū legunt ſpectatores quid in quaque actione, ſcenâ, ludo ſint viſuri. II.

Vſus prorandi ante ſciētiarum profeſſionem in S. Iſidor.

Ergo ne raptim quod hic agimus agamus, neuè illud ego impetu irreuerenter aggrediar, proloquar III.

in primis veſtri cauſa, diſcipuli, veſtra veniâ Patres, omnium obſequio. Et ne vltra antependulus diſtinear, ſumam, (ſi placet), orationis auſpicium ab auſpicatiſſimo Salomone, & cuius mihi antehac regia dedit omen, iam addet Eccleſia. Si non ſatius agerem, vt Tabernaculum aduerterē quod Tēpli amplioris vt erat prototypus, ſic videtur compendium.

Tabernaculū templi compendium.

V. Me ergo (Auditores) quo curſu per Philoſophiam ad Theologica tranſiui, non immerito inſtar gerere quis exiſtimet illius, qui Tabernaculum prioris fœderis ingreſſus, ſingula oculo, animo, pede percurreret. Et vero quid? quando? huiuſcemodij viatorem viſurum exiſtimatis? aut quam ibi architecturam, quam matheſin deſperatis? Pro veſtibulo ante omnia, ne ſtatim hoſpes incurreret in ſancta, explicabat latera, excipiebat aduenas atrium auguſtum, ingens, cuius longitudo lateribus accommoda, cuius colūnæ pyramides, æneæ baſes, cælaturæ argenteæ, tentoria byſſina, hiacynthina, coccinea, purpurea, nihil

Pro foribus tabernaculi atriū.

nihil non artis, nil non admirationis præferebant. Poſtera autem pars (tribus enim conſtabat Eccleſia) Sanctum dicebatur, & erat. Hoc deſuper operculo tam myſtico quàm multiplici non neceſſitate, ſed maieſtate gâudebat. Primum delicatiſſimis materijs qua parte purpureum, qua deinde byſſinum, aliunde ex hiacyntho, alias ex cocco repertâ tincturâ conſtabat. Huic ſuccedebat alterum operimentum ſitu ſuperius, quia tecto imminebat, ſed materia ſuccumbens ſaga cilicina vndecim. Neue morer, tertium erat ex pellibus arietum rubricatis, ex hiacynthinis poſtremum; nec niſi moroſè vndique ſuſpicienti, illa totis quantitate, qualitate, arte multiplicata, interpuncta, variegata, tincta patebant.

V. *Tentoria Tabernaculi materiæ & modo multiplicatæ.*

VI. *Menſa et candelabrum ex aduerſo ſita.*

At vero procedentibus rectâ ex atrio in ſancta, occurrebant hinc menſa, inde candelabrum, non ſorte, ſed arte ita diſpoſita, vt candelabrum meridianum latus, menſa Aquilonem occuparet. Ex vtriuſque fabrica illam Candelabi perſtringam. Materia

auro

auro erat, & tamen quamuis pretioſam,

Ouid. 1. Metam. *Materiam ſuperabat opus*

In primis enim ductile erat; tum præter haſtile etiam calamis, ſcyphis, ſphærulis grauitabat. Præ omnibus mihi vſui erit numerus calamorum, quem ſacer ipſe textus punctim expreſſit inquiens: Exod. 25. [Sex calami egredientur de lateribus, tres ex vno latere, & tres ex alio.] quorſum niſi vt cum haſtili ſeptenarium omnes implerent?

VII. Poſt hæc denique ſuccedebant vltima & ſanctiſſima Sancta ſanctorum, quæ à Sancto diuidebat velum columnis innixum, circulis inſertum, materiâ pretioſum, opere plumarium, telâ variegatum, arte interpunctum. Atque intro deniq; erat oraculi Sanctum Sanctorum, & in illo magnificè ſternebat ſe Arca illa auguſta aureis laminis coronata in ſcabellũ Deo. Imminebat ei Propitiatorium ceſſurum ei in ſolium maieſtatis, & vtrinq; duo Cherubim aurei mutuo alarum complexu, & circumplicatu quoddam ei conopæum

Sancta ſanctorũ vbi, & qualitas.

pæum explicabant.

Atque hic quidem limes, hic terminus erat itineris, noſtrum hoc curriculum ad amuſſim exprimentis, quo à Logicæ aditu in Theologiæ adyta aſpiramus, quâque parte quamque adumbrante Logicam atrio, Philoſophiam ſanctuario, ſanctiſſimo oraculo ſacroſanctam Theologiam. VIII. *Fabricæ Tabernaculi ſimulachrum curſus philoſophici.*

Enimuerò quid illic hoſpiti primitus occurrebat? atrium; & quid Logica aliud eſt quàm atrium, ianua, veſtibulum ſcientiarum: hoc illi agnomen eſt, hic character; non te erudit, ſed alio tranſmittit erudiendum, ſicut nec atrium ſanctificabat, ſed Sancta aperiebat ſanctificandis. In ipſo id exercitum, quod holocauſti altare tenebat, vbi offerenda alias animalia pellem, ſetas, excrementa, exuuias exuebant, vt defecata cederent in ſacrificium. IX. *Logica atrio reſpondet.*

Et Logicæ quid peculiare magis eſt, quàm quæ ſenſibus offeruntur obiecta concreta illa, & adhuc ſingularitati ac corruptioni obnoxia huiuſcemodi conditionibus indiuiduantibus, inficientibus contra- X.

Abſtractio a ſingularibus cui aſsimiletur?

trahentibus ſpoliare, vt in abſtractum ac defæcatum vniuerſalis ſimulachrum reſoluantur. Ibi erant forcipes, fuſcinulæ, cultri, tridentes, inſtrumenta ſacrificiorum: & in Logicâ quæ cogitantur, quæ cuduntur, niſi tanquam in Vulcaniâ cęterarum officinâ, inſtrumenta ſcientiarum? Hoc illi vocabulum eſt, & votum, vt præferat arma philoſophiæ, quam in reliquo Tabernaculo adumbratam iucundiſſimè videatis.

Logica quadantenus mechanica.

XI. Enimuerò opercula illa eleméta ferebant ordine, conditione, colore. Toga illa de pellibus rubricatis ignem ſuâ purpurâ pręferebat; de hiacynthinis aëra, ſaga aquam, tabulæ terram. Sex calami candelabri cum ſeptimo haſtili ſeptem lucernis ſubpoſta annon reſpondent, annon referunt illuſtriſſimè ſeptem planetarios cęlos totidemq; ſyderibus ſingulis ſingulos deferendis ordinatos? Atque id ipſum amplius conſtantiſsimè confirmat ſitus candelabri, de quo curioſa lex Moyſi mandauit: [Extra velum menſam pones, & contra menſam candelabrum in late-

Candelabri myſtica ſtructura.

Exod. 26

latere tabernaculi meridiano.] Nunquid temere? aut irrepſit ei? abſit ſuſpicio. Sed enim illa ipſa diuina lex, quæ hoc candelabro & ſitu eius cælos, & cæleſtes motus voluit adumbrare, ibi illud locauit quâ parte concitati orbes ab Oriente in Occidentem medium ſecant, in auſtrum non in aquilonem declinantes. Interpretem audiamus. Ideo (inquit) candelabrum poſitum eſt in parte Auſtrali, quia motus planetarum ab Oriente in Occidentem in hemiſphærio noſtro declinat ab Æquinoctiali circulo vergens verſus Auſtrum.

Repreſentabāt Orbes planetarios.

Nicolaus Lyranus in Ex. cit.

Videamus iam, ſi in hoc Sanctuario Sancta Sanctorum, & in ipſo ſanctiorem Theologiam deprehendamus, tanquam ſupra cælos mobiles cęlos cęlorum. Et quid circumferimur? Scitis vltimum Tabernaculi erant Sancta Sanctorum. Vltima artium eſt Theologia, ars artium quaſi ſanctuarium ſanctuarij, in quo quidquid ſanctum eſt conſecratur, ſanctitate, dignitate, naturales excedens, ſicut naturalibus mecha-

Typus Theologia sāčta Sanctorū.

nicæ

nicæ cedunt, ſicut ſanctum excedebant Sancta Sanctorum, & cælos terræ cæli cælorum. Atque hæc illud eſt, ad quod nos hoc ſtadio tetendimus, quam Philoſophico curſu cucurrimus, vt comprehenderemus. Huc vos pridem, ego iam primum acceſſi, quam ne ſubeam inſalutatam, prins libet examinare, & quæ, qualis, quanta ſit aut diſcere aut docere.

XIII. *Theologia vt definienda exactè* Certe communis eius notio eſt, quod ſit diuinarum humanarumq; rerum ſcientia. Mihi præuenire me libet, & nondum auguratum iam agere theologum, vt ipſam ex ipſa deſcribã. Erit ergo Theologia, vt (quod aiunt) acu rem attingam, diſcurſus ex naturalibus ſimul ac ſupernaturalibus principijs deductus. Erit illa quæ ex viſis & creditis procedit, vt citrà hæc ſit, & vltra illa. Denique (vt tenuiùs attingendo pertingam), erit argumentum, cuius præmiſſa naturâ nota eſt, altera credita,

XIV. *Cũcurſus cõtrariorum in* conclusio, Theologia. Mirabilis profectò complexio, perplexa compoſitio luminis ad tenebras,

vmbrarum ad fulgorem, naturæ ſupra naturam. Sed hæc interim noſtra Theologia eſt, hæc ſupernorum apud inferos notitia plane [quaſi aurora conſurgens] tenebris nec immerſa nec expedita, neutrum excludens, vtrumque complectens, vbi rediuiua lux, fugitiuæ vmbræ, nigrantes nebulæ, candicantes radij, vbi ferales laruæ noctis illuſtriſſimum lumen laceſſunt. Ita illa ad certitudinē miſcuit obſcuritatem, & quomodo auceps oculum cludit vt collimet, *Theologia viatorum.* *Cant. 6.* *Theologus aucupis instar*

Sic oculos, ſic illa manus, ſic ora miniſtrat.

Cupidinis inſtar arcu inſtructa, ſagittis armata, acie orba, ictu occupata, vulneratura cor ſummi patris [in vno oculorum.] *Cant. 4.*

XV. Hæc illius vmbratilis imago quaſi in plano pictæ: ex ſacris ei ſtatuam ſtatuamus; & fiet, ſi meminiſtis, (noſtis quia legiſtis) vbi peculium illud Dei populus Hæbræorum ex Ægypti ergaſtulo in libertatē patriæ vindicatus, priuſquam beatam oram attigiſſent, magnum loci, maius temporis ſpa- *Difficilis Hebræorũ tranſitus in Paleſtinā.*

Mendoſ. in Virid.

ſpatium ſpatiati in vaſta illa ſolitudine, cuius viæ inuiæ, ſemitæ incertæ, rupes præruptæ, montes inhoſpiti, ambages tortuoſæ, anfractus infiniti prius quamuis terram quam deſtinatam pollicebātur. Ergo dux erat in deſiderijs, ſed diſſimulari vtcumque totum poterat, niſi etiam plagæ iniquitas, ardores erroribus acceſſiſſent.

XVI.

Solitudo inter Ægyptū & Paleſtinā intemperanter æſtuans.

At enim tota ſolitudo, tum quia ſitu ad Æquatorem propinquabat, tum propter vbique obiectam cælo planitiem vſque adeo radijs calentibus vapulabat, vt ipſa fere in flammas conflagrarit. Huius tam intemperantis ſoli teſtes appello Pharios, Perſicos, & Græcos tyrannos, qui quondam auſi in illas torrentis zonæ partes penetrare, temeritatem pœnitentiā plectebant. Cambyſes Perſarum princeps illi oræ adnauigans nec aquis euaſit ardorem, & inſtructiſſimi exercitus vix inde reliquias eduxit. Quin pluribus lapſis, & cæteris pronis mortuorum ſanguine moribundis æſtum temperabat.

Rex Perſarū Cābyſes ibi exercitu imminutus.

Lucan. *Defectusq; epulis, & paſtus cæde ſuorū*

Igne-

Ignoto te Nile redit.

Id ipſum Xerxi, nec ſecus Hannoni ſucceſſit, quibus cautior Siſoſtres illam terræ iniquitatem, expertus copias retrò mouit, ſi ni faceret, moriturus. Vſque adeo nemo oram illam cæleſti igne æſtuantem vel prudens aggreſſus eſt, vel incolumis ſuperauit. Quid ergo hic adhibitum, quomodo populo ſuccurſum exiſtimatis? [Propter hoc ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, & ſolem ſine læſurâ] vtique per interiectam nubem columnæ illi incruſtatam, quæ diametro ſui quaſi horizonte noctem à die diuidebat, Soli ſemper aduerſa; cuius interdiu ardorem temperabat, noctu lampadē compensbat, vna vtrobique non ſubſtantia, sed ſitu variata. XVII. *Cautela Siſoſtris.* *Sap. 18.*

Et quæ nobis iam amoto legis velamine erit columna nubis & lucis, ignis & vmbræ, niſi conſcia illa, etiam & nuncia Dei Theologia quà lucida, quà obſcura, potiſſimum ex creditis, partim ex viſis, opacum diaphanum, ignis & vmbra, vt ſit interim per deſer- XVIII. *s. Theol. eſt columna ignis & nubis.*

ſertum ad patriam peregrinis in velamento diei, & in luce ſtellarum nocte. VELAT enim diem Theologia viatorum, reuelat noctem, quando beatam viſionem prohibet, quam promittit; & vt ſtellæ noctem non fugant, quin faciunt, quarum maligna claritas eo iuuat, vt circumfuſa caligo quaſi chaos capiatur, ita hæc ſemiſcientia, qua ex parte prophetamus, id agit vt ignorantiam noſtram edocti quaſi cæcitatem videamus.

XIX. *Author imperio actus ad docendũ.* Hanc ego tanquam facem iuſſus ſum præferre, cui operi vt me imparem arguam, obedientiæ neceſſitati promptum magis quàm paratum explendæ, tanti auſus arduum, & accliue, hoc eſt difficultatem pariter ac dignitatem eius in impotentiæ meæ ſubſidium celebrabo. Et quidem vt illam præmittam, auſim affirmare *Theologia ardua.* Theologiæ difficultates nonnullas, eſſe ſed arduas, nec aliquas ſed omnes. Quidquid enim intuitum noſtrum prohibet, aut eſt circumfuſa obiecto lux, aut offuſa caligo, aut interualli propenſio, aut obie-

obiecti admotio, vel denique ſi forte quidpiam aut magnitudine laboret, aut inani. Hinc enim nec interdiu ſolem ſuſtinemus, nec quidquam noctu cernimus, non peregrina regna, non propinqua cilica, inde denique nec mõtes comprehendi, nec apices poſſunt vel apprehendi. Et Theologiæ ſcopus Deus, quo horum obice non reuerberat intuitus noſtri temeritatem. Ipſe ſiquidem ignẽ habitat, ſed inacceſſibilem vſque adeo fumigantem: ipſe in omni arte tyrones eluſit, emeritos fatigauit. Grammatico inter elementa. A eſt & Ω.] Apoſtolo in myſterio principium & finis, Phyſico motor, ſed immotus, Geometro ſphæra, cuius centrum vbique occurrit, circumferentia nuſquam. XX.

Deus quàm difficulter cognoſcatur?

Apoc. vi. viij.

Si ergo lucida aciem perſtringunt, Deum ignem habes; ſi obſcura, habes fumigantem: ſi propinqua, centrum eius vbique eſt; cuius ne ſperes continentiam, peripheria eſt nuſquam. Adeo Theologiam voluit Deus ſecum latere, Perſico ſtratagemmate maie- XXI.

Triſmeg. apud Scalig. & Alcaſ.

maieſtatem ſolitudine metitus,nõ ſuſtinet ſciri; ne quidem ad vſurã ſuæ laudis, quam vt poſſet audire deberet eloqui, quò ita ex hac conualle tanquàm ex Olympica porticu repercuſſa Tonantis vox in ipſum redundaret. Sed enim id abnuit ſe teſte contentus. SVMMA illi laus eſt, non poſſe laudari: Eulogium ei primũ de conſciẽtiâ maieſtatis ſuæ, proximum ex noſtro ſilentio, quod qui interrumpit, patientiam magis quàm excellentiam Dei declamat.

Deus inde laudabilis quia nõ poteſt laudari.

XXII. Et quidem hoc ſibi vt propriũ, ita propinquis voluit eſſe cõmune, quæ ipſum quaſi cognatione contingunt, & vt diuina ita Theologica ſũt: adeo illa quo vſque ineffabilia, nos eatenus infantes. Itaque Theologiam Dei optare magis quam aſſequi poſſimus, niſi opus ipſius quaſi vmbram aduertamus, impreſſum in hoc puluere veſtigium metientes, trunco argumẽto ex noſtrâ materiâ illius formam inferamus. Et totum ſanè fidem facillime accipiet, ſi aut diſcere aut dicere liceat huius ſciẽtiæ felicitatem, vtilitatẽ, delicias,

Modus quo Deus pro hoc ſtatu ſciatur manifeſtis.

quas

quas ſemper difficultates quaſi ſpinæ roſas innectunt.

Quod enim ſtudium, hominis intellectum ſanctius delectat, dulcius ſuſpendit, quàm illud quod diuina propinat, dignitate ſuprema, magnitudine infinita, ſecuritate æterna. Figere aciem inprimis in primam illam & ſimplicem ſubſtantiam Deitatis, cui alia quæque adſunt virtute, deſunt varietate. Aure excipere harmoniam diuerſorum, quæ Deo ſunt Attributa, concordem diſcordiã & coituras in vnam partes belliſſime duellantes; vt Iuſtitiam Miſericordia maritet, Pax lambat oſculo Veritatem. Admirari adhuc vt vnus ille amplietur in plures, qui tamen non auxerunt præuij vnitatem; Tres aſpicere, vnũ adorare; Generationem cernere, ſucceſſionem non expectare: Genus in pluribus videre, in omnibus Speciem, in ſingulis Differẽtiam; Proprium cuique aliquid, Accidẽs nulli; & adhuc vnum in pluribus Indiuiduum, etiam indiuiſibile Deitatis. Patrem dicendo genuiſſe facundiâ fœcũdum: Filium na-

XXII.

Obiecta Theologica accurate explicatur.

Vnitas Dei.

Attributa.

Trinitas.

Generatio Actiua.

Paſsiua.

ſcendo didiciſſe, infantiâ eloquẽtem; Spiritum vtrinque reciprocum generoſum eſſe, nec tamen genitum, nobiliſsimum ortu priores admittere, & Maiores neſcire.

Spiratio.

XXIII. *Incarnatio.* Tum vbi Tu hinc oculum demiſeris obiectum dimitti, Deum deſcendere (quaſi ſurſum circumſcriptum,) immobilem ferri, & in anguſtijs fœminei vteri immenſitatem locare. Deſponſari hominem Deo, deſtitutam ſubſiſtentiâ ſubſtantiam accidere, nec inhærere. Denique vbi prodit in palæſtram athleta ſuo nomine vnctum, quia oleo illo non maduit ſanguine maduiſſe, & in iteratione nominis titulo auctum, ſed corpore imminutum.

Nomen Ieſu Chriſti & Circũciſio.

XXIV. *Euchariſtia.* Quid adijciam eiuſdem in Sacramento ſimilem huic natiuitati nouitatem, vbi Subſtantiã quaſi ſubſiſtentiam ablegauit, Accidentium eſſentiam pendulam ſuſtentauit? Quid eiuſdem immolatione aſſiduã ſignificari mortem, & celebrari immortalitatem, conſummatum holocauſto ſibi eſſe ſuperſtitem: Sacrificium ſanguine celebrari, & adhuc eſſe incruentum

Miſſæ ſacrificiũ.

tum

tum: Et reliqua quæ in eodem volumine addiſci poſſunt neſciũt æſtimari, quot illa aperit arcana, quibus audientem docet ſimul & delectat, ornat & armat, in pace conſilio, in armis auxilio; in patriam vbi pergimus, præuia; vbi ſiſtimus, præſidio. *Sacra Theologia præſidium*

XXV. Hæc eſt veri nominis columna, & firmamntum, quæ populum Dei ex Ægyptia ſeruitute reducem per deſertum mundi huius traductum inter tot viarum tramites, tot tramitum erorres facit figere pedem, & nequaquàm quaquaverſùm declinare, Hæc eſt illa arx Libani, quæ totis tormentis [reſpicit contra Damaſcum [TurrisDauid, quæ edificata eſt cũ propugnaculis; mille clypei pendẽt ex eà, omnis armatura fortiũ] Cant. 7. ibid. c. 4.

XXVI. Et quid hic quamuis auidis adijciam? vnum quia theſaurus eſt Theologia, penu omnis eruditionis, quibus Gentiles intumeſcunt. Nam vt omitam quod naturalibus diſciplinis parte conſtat, qua parte vacauit ſcripturâ vndiquedi-uinâ, ita illas non excluſit, vt incluſerit luculẽtius excludendo. In illa *Sacra ſcriptura cornucopia omnis erudi tionis.*

ſi quidem Grammaticæ canon canonicè contemnitur, Rhetoricæ ſpecies ſpecioſè deſpicitur: Ibi Oratoria neglecta diligitur, illic conſequentia Logicè colligitur; ibi Aſtronomia cælos expandit, Hydrographia aquas ſuſpendit: Geometer montes ponderat, Coſmographus terram palmo concludit. Illic Opticus oculis illu-

Diſciplinas Mathematicas vt cōplectatur

dit, Gnomonicus vmbras metitur, Militaris caſtra metatur. Denique illic Coſmographus Orbē peragauit, Phyſicus naturam penetrauit, Metaphyſicus ſuperauit.

XXVII. Neuè hæc me temerè garrire, quis garriat, vbi Tu, quiſquis es,

Metro & Proſa facunda.

lenocinia orationis ſuaue ſonantius excipis, quam ſolutæ in Salomone, ligatæ in Pſalmis, Iob, Hieremia? Vbi cæleſtium ſphærarum vertiginem, originem, virtutem certiùs, clarius, quàm in Biblijs leges? quæ ne quid horum neſciſſe, ac non neglexiſſe videantur; ad-

Iob 9.

dūt inſuper [& Arcturum, & Orion, & Hyadas, & interiora Auſtri.]

Hiſtorijs probatiſſimis docet & delectat.

vbi Hiſtoria magis varia, nunquam mendax? quæ facilius delectat,

tar-

tardius faſtiditur quàm ſacra? illa argumento regia, ſacraméto myſtica, authoritate diuina? Quotus vnquam Pyrrhus rectius diſpoſuit caſtra, diuiſit cornua, ordinauit cõlmeatum, quàm Iudas? Quantus Aexander ita exigua manu ingẽtem profligauit vt Ioſue? & vt perſtringam paucis portenta. Quod mihi dabis maius miraculum in torâ illa erraticorum ſyderum conſtanti inconſtantiâ, quàm ſtetiſſe Solẽ, fluxiſſe tempus, inferiora concita, ſuperiora quieta! libratum æquinoctio ſolem ſolſtitio defunctum; Lunam aliàs turbidam nihil turbatam, & hæſiſſe immobilem, quæ ſublunaria commouebat. Hoc, ſi philoſophiam audiamus, incredibile credemus; ſi Fidem, factum. Adeo videtur huius operis author ſcriba ſcripturæ linguæ ſuæ calamo lineas duxiſſe, quà quondam dixit, imo egit vt eſſent omnia; vt nemo hic minus aliquid Vniuerſo expectet, cum conſtet vtrobique idem Verbum exprimi diuerſo charactere.

Vid Liu. lib. 34.

Portentoſa Solis ſtatio.

Ioſ. 10.

Pſal. 4.2

Mundus & ſcriptura duo libri eiuſdem argumenti.

XXVIII.

Quamobrem non immerito ego

Oratio P. Scipionis animauit & armauit exercitum.

vos (Auditores mei) compellare poſſem quo ſtylo P. Scipio, glorioſo cognomine Africanus, nouæ Carthaginis expugnationem aggreſſus, exercitum ſuum fortius quàm ferro armauit, affatus: Ad vrbem vnam oppugnandam, „ ſi quis vos adductos credit, is „ magis operis veſtri quàm emolu-„ menti rationem exactam (mili-„ tes) habet; oppugnabitis enim „ mœnia vnius vrbis, ſed in vnà vni-„ uerſas. Hìc ſunt obſides omnium „ nobilium Regum, populorumque, „ hìc pecuniæ omnis hoſtium, hic „ tormenta, arma, armamenta, „ & omnis apparatus belli eſt, qui „ ſimul & vos inſtruet, & hoſtes „ exarmabit.

Liu l. 26.

Vertitur ad Auditores oratoris.

Ita inquam (Audito-„ res) ad vnius ſcientiæ ſtudium, ſi „ quis adductos vos credit, is magis operis veſtri quàm emolumẽti rationem exactam habet. Excipietis enim vnius diſciplinæ commẽtaria, ſed in vnâ vniuerſas. Hìc ſunt obſides omnium gentium, authorum, regum, populorum: hìc peculium omne hoſtium Ethnicorum, Hæreticorum, Hebræorum: hìc tormenta, argumenta, &

omnis

omnis apparatus,qui ſimul & vos inſtruet,& hoſtes nudabit.

XXIX. Ni ſatius Theologiæ ex ſacris præluderem; & affarer auditorium meum iam denique Athenis Hieroſolymam, ex humanis ad diuina deductum vt alius olim multitudini illac ex Ægypto aſcẽdenti aſpirauit,antipathiæ obiectu quam videbitis non minus ſcientijs quàm ciuitatibus a dhæſiſſe. Etenim (Auditorium) [Terra,quã ingredieris poſſidendam, non eſt ſicut terra, de qua exiſti, vbi in hortorum morem aquæ ducuntur ririguæ, ſed montoſa, & campeſtris, expectans pluuias de cælo.] Profana Philoſophia, quã Tu es defunctum, iuuari poterat naturæ niſu, & ſudoris fluxu quaſi fluuio foetari. Diua Theologia expectat pluuias de cælo diuinæ gratiæ rorem. Non trahit è terra humorem, nec turbidam eluuiem velut vomitum ſorbet, quam ebrius tempeſtate Nilus eructat. Expectat è cælo imbres, cataracta eius ex alto aquam emittunt ortu nobilem, fructu felicem; maxime pretioſam, ſed minime pretio væ-

Paraneſis à Moyſe habita Hebræis. Deut. 10.

Sac Theologia è cælo hauriendæ.

Diuina gratiæ cõditio. nalem. VTILIS & obuia Dei gratia eſt, nec diſſimulari poteſt, nec deſperari; facilis etiam & facilitatrix: nihil illi arduum eſt, nec
XXX. quidquam abiectum. Alta cognatione complectitur, ima dignatione attingit, omnia beneficio. Ardua humilitate inclinat, inclinata faſtigio erigit, prona fundamento ſupportat: tantum ne
Addẽda gratiæ induſtria. ſola prematur, neue onus ſed iugum ducat. Addiſcentis induſtria adhibenda eſt, quamquam eò tãtum iuuat vt iuuetur. Gratia & induſtria Gemini ſunt ſydus ſalutare, quorum neutrum ab altero auellas, niſi cum ſocietate vtilitatem extinguas. Nec ſine induſtriâ tentari quidquam poteſt, nec ſine gratiâ adquiri: altera temeritatem hominis retundit, altera torporem, vt humanitatis anguſtia hinc inde obicibus obſeſſa, nec arrogantiâ intumeſcat, nec ignauiâ ſubſidat.

XXXI. *Apoſtrophe auctoris ad diſcipulos ſuos,* Ite ergo (Auditores) imo aſcendiſte in Hieruſalem, ſed ex aduerſo Iudæorum in terram patribus veſtris præſtitam, vobis promiſſam. Quot? quanti ex noſtris magni

magni illi Maiores iter hoc emenſi oſtenderunt altitudinem apprehendi poſſe, quam ipſi calcarunt. Ordo veſter tot annorum centurijs Chriſtianam Eccleſiam ſcholis, ſcholas Doctoribus illuſtrauit; per Prouincias omnes propagatus Orbem cum ſole circuiuit. Quaſi circumfuſa Hieroſolymis caſtra metatus militanti Eccleſiæ militauit: torcularia eius cruore inſtruxit, ſyluas palmis, libris bibliothecas. Orientem ſanguine imbuit, Occidentem ſudore. Patres noſtri nihil ſibi inuictum eſſe voluerunt, ne quid nobis eſſet intentatum. Ite ergo, quamquam iam ire non poteſtis, ſed ſequi quot duces, tot Doctores. Alium *Seraphicum*, qui litteram ſpiritu, lumen calore maritet, monendo mouens. Alium *Irrefragabilem*, qui monſtris minetur: nam quid vſpiam obſtitit *Alexandro*? Super omnes *Subtilem*, qui inter cætera praxi probet præiudicari poſſe præiudicio ætatis; quando ipſe ad artium encyclopædiam nō annos ſed labores numerauit. Ego primum horum æmulatus nomen

Religio FF. Minorum quàm vetuſta, ampla, vtilis.

Martyres & cōfeſſores illuſt.

XXXII.

S. Bonauentura Doctor Seraphicus.

Al. Alenſium D. Irrefragabilis.

Io. Duns Doctor Subtilis.

tantum mutuaui. Illuſtrare vos non arrogo, facile inflammare, amore vtique, quem in me videtis accenſum, erga vos velut centrum ſuum concitatum. Scitis au-
XXXIII. *Semen & meritum amoris eſt amor.* tem, NIHIL ignem cōcepit quod non pareret; nec quiſquam tam contumax eſt, quem beneficium non ducat ad beneuolentiam. SVCCINVM gratitudinis eſt gratificari, magnes amicitiæ amor; in quo me tam auſim extollere, quàm debeo ab impotentiâ excuſare. Poteratis alium interim magis aptum non magis amantem audire, quotquot acceſſiſtis me voluntate ditiſſimum, etſi virtute depreſſum.

***

DIXI.

PA-

PANEGYRICVS
NONVS
DE VIRTVTE ABSTINENTIÆ.

QVAM præpoſterum eſt Doctores diſcere, tyronem docere; militiam ignauos, ſapientiam rudes, timidos pericula prædicare; tam imparem me agnoſco, qui in hoc conſeſſu permittar perorare, etſi minimè Auditorio aptus, minus materiæ. Abſtinentia eſt enim (Auditores) quæ nec tyrones ad encomium ſuum admittit, non timidum ad pericula, non ignauos ad exercitium. Illi ſiquidem virtutis nitori maculam ingerent, quam egregia eſt; iſti, quam eſt ardua, difficultati. Et vero ETSI NEMO cauſâ cadit, niſi qui vincitur, non quiſque tamen honori ſuo cõſtat, qui æquari ſe patitur ab imo; nec quiſpiam degeneri par eſt, qui nõ degenerauit. Ergo hodie detri- I.

Abſtinentia prædicator qualis & quantus.

II.

mentum virtutis erit impotentia laudatoris, qui vtcunque Abſtinētiæ laudibus par eſſe poſſim oratione, impar ero obſequio? & vt abſoluar hoc vitio operis, laborabo illo orationis: impar ſi vel primo peccaui, indignus ſi altero,

III. *Imperiū ſupeciorū excuſat impotentiam inferiorum.* impius ſi vtroque. Sed enim hìc diſcriminet oportet iuſtus iudex quod arbitrio facimus, & quod imperio; quod quiſque noſtrum agit, & quò agitur, quorſum non tam imus quàm ducimur, imo trahimur, dicam etiam minamur. Et mundum æſtimet ſaltim quod impulſu agimus, quale demum quale ſuapte natura videatur, vt quibus nefas eſt obſiſtere, ſaltim fas ſit obtemperare. Et quia non iam noſtri ſumus, ſic nec æſtimemur; nec ipſi noſtro nos iudicio, ſed alienâ voluntate metiamur. Quod ideo præmiſi, vt ſi cui minus ſapiat oratione mea Abſtinen-

IV. *Nobile obediētiæ exemplū. Vide* vit. PP. lib 4 Seuer. Sulp. dial. 1. c. 12. tia, luceat ſaltem in exemplo Obedientia. Scio equidem in Paleſtinæ anachoreticis monumētis efferri in immenſum illius adoleſcentis pertinacem obaudiētiam, qui ad ſenioris imperium

con-

continuâ trienni operâ truncum pluribus annis marcidum rigans, denique effœtum fœtauit, & veſtiuit honore, fronde, flore poſt liminio reductis. Et ego quidni ſperem ex aduerſo imperio diuerſũ opus, vt auditores meos, quos non immerito inuerſas arbores ſapiens appellauit, abſtinentiæ propoſito quaſi obturato irriguo exſiccẽ, vt quia naturalibus plantis antipodæ ſunt, ita verſis vicibus è cælo pabulum accipiant in ſolo ſpatium.

Obedientia aliàs impoſſibile poteſt.

Philo Iudæus lib. Quod deterius &c.

Homo arbor inuerſa.

V.

Gemmæ cæleſtis genituræ.

Et vero quid homine dignius, quàm cælo accerſere quo viuat; Vade quisquis hæc aut temerè ambigis, aut tardus admittis; vode, venare quæcunque maxima in naturæ penu, in hominum votis ſunt, conchilia, vniones, margaritas, ſiue Erythræi ſiue Indici littoris, ſiue Iberæ ripæ; videbis omnes pluuio rore quaſi ſemine cælitus deciſo coagulari; & vniuerſim quæ pretio pollent, aſpirant. Voles ergo cælitus ali, hic abſtine; vbi dum diſpeſceris, paſcua tamen non amittes, ſed mutabis. Tritum eſt illud Peripatetici

Abſtinentia debetur è cælo alimentũ.

VI.

tici Lycæi effatum tot hominum experientijs compertum, tot naturæ laborantis impenſis contra irruentia pondera propugnatum, Nihil vllibi euacuari: vbi aquam effuderis, aura aduolabit. Et ò beatum qui grauitate moleſtam, cruditate mortalem aut tandem euomat, aut tempeſtiue recuſet, vt tam lympido ſpiritu liceat reſpirare. Enimverò non æſtimandum eſt myſterio vacare, tanto opere, tot impenſis ſolicitari Vacui fugam, præoccupari locum; cuius veritatis tutelæ conuulſa ſedibus ſuis, confuſa locis, cæleſtia terrenis ſubſiſtunt. Ænigmati ſimile eſt; hic Theologia Philoſophiam grauidauit, Chriſtiana commercia in profanâ diſciplinâ proferuntur. Optio tibi eſt, ò homo, abſtine, & aleris; terrena conuiuia in cæleſtia alimenta traduces, aliquo te expleas eſt opus, vacuum vniuerſa abiurarunt. At iam Eccleſiaſtica definitione phyſicam adiuuemus, vt ſacra profanis & adminiculo ſint & ornamento. Salomonis olim oraculum & exclamatio erat:

Vacuum exulat Vniuerſo.

Ariſt. 4. phyſ. à text. 64. ad 76.

Allegoria vacui

VII.

[Væ

[Væ terræ, cuius rex puer eſt, & cuius principes mane comedunt.] Paradoxum profecto, ſi non penetretur: quid enim referet Princeps quâ hora reficiat? aut quæ ſanctitas ſi non aufertur, ſed differtur edulium, vt proinde ſit [beata terra, cuius principes comedunt tempore ſuo:] aut vt denique non tempeſtiue ſua principes expediunt, qui apud ſuos, ipſius etiam temporis habēt principatum? Hic (Auditores) altius fodiendum eſt, vt aurum ex imo eruamus. Abſit enim vt hoc ſpiritus Domini tam anxiè ſolicitaтarit, ne tempore aut præterito aut præuento peccemus, neue morâ, ac non magis materiâ laboremus in edendo: nec enim ille ſanitatem ſed ſanctitatē prædicabat, quam hac puerorum intéperantiâ adumbrans, ad ferulam emeritos ingenioſe reuocauit.

Eccl. 10.

Salomonis ænigma de abſtinentiæ neceſſitate.

Ibidem.

Hic à littera ad ſpiritum appellandum.

VIII. Quid enim pueri peccant in edendo, qui vt maxime ſobrij, ebrij ſemper ſunt, iudicio rationis negato magis quam amiſſo? Sed hoc ipſum hic eſt increpitum, quòd non iudicio ſed auiditate man-

Intemperantia puerorū.

manducant, nec materiam ſed moram attendentes, malè veſci volunt ne ſerò veſcantur. Nimirum e ſtrato quo ſe ſaturi intulerunt auidi exilientes, in obuia quæque inuolant, farciunt ſe oblatis quamuis aſperis, quamuis inſulſis; & hoc tantum contenti quod edant, id agunt vt cum pro- *In ipſorũ dãna redundas.* uectiores meridie manducant ad ſatietatem, ſatientur ad faſtidiũ, illi rudibus repleti, delicatis cibarijs vel inuiti arceantur. Væ ergo illis, quia edendo ſibi obſtãt ne edant, & peccato ſuo plexi, quibus comedere luxus fuit, comediſſe eſt tormentum.

IX. Et ſi pueris proinde væ, quid ni prouectis? ſi non edant tempore ſuo, aut rectius ſi ederint non ſuo; vnde deinde fiat ne ſuo comedant, vt quam præuenerunt horam patiantur, & ipſa intemperans voluntas fiat neceſſitas. *Symbolũ pœna eſt prouectorum, quã gula incurrunt.*

Quodvtique principum & prouectorum damnum, eo magis debet doleri quo minus poteſt redimi. Nec enim vbi pueros abiecimus agimus de vnius cœnæ iacturâ, ſed omnium; aut ſi vnius,

ſed

ſed vltimæ, quæ nec deeſſe vnquam deſinet, nec deſiderari. Vt expediam & inuolucrum huius myſticæ Theologiæ patulâ expoſitione diducam: Væ illis erit qui in huius vitæ diluculo in obuia ſe edulia paſſim & promiſcuè effundentes, ſolâ interim abſtinētiâ abſtemij, farciunt ſe cibis tanquam equus aut mulus, quibus non intellectus tantum deſit, ſed & chamus & frenus, qui edendi tempus, modum, materiam ſolo appetitu metientes vbique aduertunt non quod liceat iuſtis, ſed quod libeat effrænis. Nec oblatus ſaturi ſtudent exquiſitis, inhiant inquirendis; intellectum ſenſu, ſenſum cibo ſuperantes, plura eſuriunt quam intelligunt, & tanquam in Africâ ripâ commixtis ſeminibus tot eruunt condimenta ex vetuſtis noua, quot nec ipſi, quibus intellectus in gutture, voluntas in ventre eſt, impotenti palato diſcernant.

X. *Soluitur ænigma Salomonis.*

Pſal. 31.

Amplificatur & exaggeratur gulæ exceſſus.

Semper aliquid noui in Africa.

XI.

Iſtis enim quid ſupereſt, niſi quia ſic mane manducant, vt meridie, id eſt, perfecta die cum [aſpirarit Sol, inclinabuntur vmbræ,] cum huius

Cant. 2.

huius vitæ nox in æternitatis claritatem abſorta, amoto motu tēpus terminârit, infinito conuiuio pari dolore non iam abſtineant, ſed arceantur. Hæc nimirum eſt
Vita corporis & ſpiritalis inuicē aduerſæ. vitæ viciſſitudo ſpiritalis & corporum, temporis & æternitatis: ſe inuicem iſtæ illatæ interimunt, inferunt interēptæ; vt QVOMODO infra ſpirituum beatā ſimplicitatem bipartitus eſt homo, ita inſtar eſt ille bilancis, cuius partèm ſi vnam preſſeris, alterā promouebis.

XII. Et vero mirari deſinet has abſtemij delicias, epulonum egeſtatem, quiſquis attenderit quod obſtupeſcit. *Cur Deus adeo faueat abſtemijs?* Nimirum excellentia virtutis huius hominibus quidem adeſt aliquando, & terit terras, ſed peregrina; Cælo ciuica, Diuis deſpōſa eſt, Deo cognata: & quid ni ei quis indulgeat quem exprimit, vt quem attingit communione naturæ, d tet participatione ſubſtantiæ? Iam verò Deo nemo *Deus abſtinentiæ exemplū.* magis abſtinet, imo nemo æque: & cum operis noſtri laus conſtet intra modum, illius ſupra fertur, ita non perperam vt quem ſuperauit—

rauit tamen non exceſſit; cui medium ſummum eſt, & totum tutum, quando in diuinæ actionis ſphæra nec circumferentia centrum claudit, nec medium extrema diſpertit; nec obnoxius, it periculo ne certis finibus elatus erumpat qui nullibi poteſt impingere niſi in infinitum. Nos ergo ſi parcè paſcimur, ille ne parum quidem; ſi pluries temperamus, ſed ille perpetuo, conſecrato in ſe tam auguſti operis exercitio, adeo qui minus hæc admittit magis accedit Deo. Intellexerunt hoc non Sancti tãtum, ſed Sapientes ſæculi huius, qui ad faſtigium humanæ felicitatis tentantes ad abſtinentiam aſpirarunt, rati nequaquam ſe tenere omnia poſſe, niſi ſe quoque continerent. Huius Vrbis M. Curius, qui primus de Samnitibus triumphauit, Pyrrhum in Italia ſuâ ſuperaui,

Semper agit ſine periculo exceſſus

XIII.

Gentiles prudenter abſtinuit.

—— paruo quæ legeret horto
Ipſe focis breuibus cœnabat oluſculæ.

Horat, Sat. II.

Tot populorum victor in ſubiecta ſibi tam parum permittebat. A quo didiciſſe videtur Theodoſius & magnitudinem operum. &

Pacat.

victus

victus parcimoniam, cujus aula
Spartani, gymnaſijs durior, frugali- »
tatis exemplis abundabat. Ipſe »
modico & caſtrenſi cibo longa »
Val. Max. lib. 4. c. 3. ieiunia ſolabatur. Quid de M. Ca-
tone dicam, niſi vt cum Maximo
Valerio nihil dicam, contentus »
illius memoriâ pro argumento, »
cum ex eodem vtero conſtet Ca- »
tonem prodijſſe, & cõtinentiam.
Non ſapientes tantum, ſed Principes. Æmilius Scipio quid niſi ſimilem
ſilentij laudem meretur? qui enim
inambulans cibum ſumebat, com-
mentario abſtinentiæ ſuæ non
eget, quam ipſe facundiſſime ore
XIV. ſimul, & opere perorabat. Et hæc
illi ad magnitudinis ſuæ comple-
mentum, quam ſummo æquare
non poterant, niſi infera ſibi ſub-
ſternerent, & à quam pauciſſimis
ſubſidium mendicarent. Vere
Victus & veſtis vſus, eſt profeſsio paupertatis. enim VSVS horum arguit egeſta-
tem, & humanitati quamuis ela-
tæ ſeruitus impoſita eſt, deberi hęc
à pluribus inquiri, ab omnibus
admitti: quam proinde alius quiſ-
Seneca l. 1. Nat. qq. pr. piam merito appellauit miniſte- »
rium ægri. Certiſſime enim »
XV. FAMES, ſitis, nuditas & cætera
quæ hominis corpus feriunt, ani-
mum

mum compungunt, vt hæc quã-uis nequeat proxime pati, debeat compati, voces infirmorum ſunt remedia poſtulantium, quæ etiam qui adquiſiuit, non ideo ſanitatem habet, ſed interuallum morbi, aut etiam irritamentum: quomodo neque is febrem excuſſit, qui alternam, vel ſi etiam triduanam, duntaxat patiatur: & multo minus euaſit ægritudinem, qui impotenti interiùs ſiti æſtuans frigidam pro libidine hauſit. Conſulo te ipſum, quisquis es, & appello cõſcientiam cuiuſque, ſi non iudicas euaſiſſe febrem qui ſitim ſic poſuit vt non redeat, non qui leniuit vt intermitteret? Adeo dignior authore ſuo eſt illa Epicuri parœmia: „ Vis diuitem facere? non „ poſſeſſionibus addendum eſt ſed „ cupiditatibus detrahendum. Hæ diuitiæ, hæc naturæ ſanitas. ISTA LIBERTAS vera, eorum quibus nutritum ad interitum corpus hoc alitur, admittere quam minimum, concupiſcere minus. Hæc aurea abſtinentia, terris hoſpita, cælis cognata, hæc quæ tuto diuites facit, vt ijs rebus, quas ſubtus nos natu-

Nõ bona ſunt, ſed remedia malorũ.

XVI.

Seneca ep. 21.

Abſtinentia autrix ſanitatis, libertatis.

XVII.

natura diſpoſuit, minimum ius concedamus in nos, ac in libertatem aſſerti, neceſſitati parciſſimum veſtigal pendamus. Eripiamus nos fortunæ lubrico, vt quam minimum nobis eripere poſsit quamuis irata. ILLE etenim quam maxime ſe ſorti ſubduxit, qui hæc fortuita ſibi minime indulſit, contentus neceſſarijs, vt mortalitatis ſarcinæ pendat non quod poteſt, ſed quod debet; edat non ad eſuriem, & multo minus ad appetitum, ſed ad egeſtatem: Hauriat illos liquores, non qui fauces demulceant, ſed qui prohibeant ſiccitatem; quomodo hęc inanimis terra, quam calcamus, meliori magiſterio ducta, quanquam deſuper ruptâ compage, cælorũ, diductis cataractis pluat ad eluuiem, illa tamen non plus haurit quàm aret, reliquum non eructat, ſed recuſat. Et quam eſt Vniuerſi ordini, hominis ingenio iniurium, elementis inſenſatis erudiri? at miſerius eſt quòd nec à docentibus diſcamus.

Conſultũ quampar ciſsimè admittere corporalia ſubſidia.

Quis modus in illis habendus.

In elemẽto abſtinentia.

XVII. Si quis tamẽ hic tumidâ ignorãtia ſiue elementorũ dogmata, ſiue

E pi-

Epicuri indignatur, Deum ſaltem accedat diſcipulus: ille ediſſeret, quid naturæ, quid neceſsitati debeamus. Huc ergo quiſque ſe ſaltem inclinet, vt qui conſilia diſsimulat, præcepto ſuccumbat. Audiet enim conditorem naturæ canones condere, & in vnum omnes affari illis Geneſeos, [Quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.] At quid bone Deus, quid ordinas? quæ indulges? olera, & virentia quidem; ſi ſubſtantiam attendas vilia, ſi ſtatum indigeſta; alterum datore indignum, alterum accipienti ingratum: quaſi aut Tibi deeſſet quod donares, aut præter nos ſupereſſent Tibi cara magis animantia, quorum delicijs ea reſeruares, quæ noſtræ neceſsitati negaſti? Nequaquam, nec ſuſpicioni locum reliquit, euidentia veritatis, ſiue illam fide metiaris, ſiue ratione comprehendas, ſiue praxi contrectes. Non ergo hic oleribus non animalibus cautum, ſed homini: nec inuidit ea Numē nobis, ſed temperauit, ne plenitudine poteſtatis in cætera freti, ipſo demum vſu abuteremur. Nam quo-

Gen. c. 9.

XIX.

Vſus olerum à principio

Quid habeat myſterij.

An homini ſit carnibus interdictū.

quorum dominium homini inſolidum integrauit,quomodo vſum diuideret? & quæ ad oble&amen-tum capi, cædi, ſuffocari; venatu, piſcatione, aucupio conceſſit, quomodo in humanæ vitæ ſubſidium tam ſeruili pepercifſet; aut neceſsitati detraheret, quæ voluptati permiſit? Nullo(inquã)
XX. non meâ ſententiâ, ſed eiuſdem,
Ibidem. quæ præmiſit ibidem .[Terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animantia terræ. Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt,& omne quod mouetur & viuit erit vobis in cibũ.]Vides donationẽ in ſolidũ,audis indulgentiã plenariã?

Vſus carnium à Diluuio.

XXI. Sed quid (inquies) annexuit, [quaſi olera virentia tradidi vobis omnia]? Nunquid in his virorem, nunquid cruditatem commendauit, aut forte tempora & ſtationes his percipiendis]diſtribuit, quomodo oleribus non vnum omnibus fauet, ſiue ſerendis ſiue metendis? Non æſtimo quidem, nec Bucolica aut Georgica hic, ſed Geneſim deſcribi, quæ vt originem hominum definit, ita ordinat ſtatum,&

pro-

prouidet propagini. Denique quid hic agitur legis inuolucro neſcirem profectò, niſi vltra pedes Gamalielis progreſſus Apoſtolico oraculo excepiſſem: at modo admotum Pauli commentum ingenioſè illuſtrabit. Ipſum audiatis. [Qui infirmus eſt (inquit) olus manducet.] Ecce olera infirmorum medicamenta, quibus nemo quamuis laxus luxuriat, nec abundantiâ peccat ſed defectu, eo remedio quo non voluptatem palpat, ſed neceſſitatem retundit. Ergo Conditor noſtri generis omnia nobis in ſubſidium vitæ impertijt, quam vt nos produceremus cæteris voluit eripi. Voluit inquam omnia nobis in cibos cedere, ſed vt olera, vt remedia morbi, & medicamenta quibus nemo niſi coactus vtitur, nec abutitur, niſi ad ægritudinem, ad interitum excedit. Ita eſt (Auditores); in cibo virtus eſt anceps, & in diuerſa propendens, quomodo medicaméta medio iuuãt, quod ſi cibo abſtuleris, ipsũ quod alit in vitam præcipitabit ad mortem. Quot enim edulij exceſſu vi-

XXII. Paulus Apoſt. legis commẽtator ingenioſus.

Rom. 14

Frugalitatisq; in victu neceſsitas ratione conuincitur.

XXIII. Cibi medicamẽta ſunt infirmorum.

Moderati aluntvltra modũ ſunt mortiferi.

XXIV. tâ ſimul exceſſerunt; & dum voluptates ſuas vellent augere, vitã terminarũt? Illos cùm numraueris, ego eos recēſebo, qui medicinis in venena verſis dum cuperēt producere vitam, properarunt ad mortem: quorum catalogus, quia vſu texitur, hominum damno magis quam diſciplinâ, id ſaltem diſcamus, medicamenta in medio ſita, & edulia tanquam olera excipienda, in quibus eruditas ipſa retundit prurientem appetitum, & periculum præcludit exceſſum, quia proximum eſt virori venenũ,

Pulchro argumēto lex ſuadet abſtinentiam.

XXV. Diſcamus ergo ſi non pie, ſaltē prudenter abſtinentiam, & ipſam edendi illecebram, vt teneamus diu, temperemus. [Abſtinens adijcit ſibi vitam] ſicut ex aduerſo inſolens quiſque & in ſeruitutē corporis in prædam voluptatis tanquam effrenatæ beſtiæ impotens ſeſſor abreptus; non ſolum admittet mortem, ſed accelerabit.

Et perſuadet prudenti. Eccl. 37.

XXVI. Vides nauigia quæ quamuis vaſta dehiſcunt ſi ſolido onere plus ſolito grauentur, vel etiam liquidi hauſtu aquis admiſſis, id ſibi intimum ferre non poſſunt, quo

Nauigia onere opprimãtur.

cir.

circumfuſo ferebantur. Ita perinde eſt qua materia delinquimus ſiue eſu, ſiue hauſtu, excedamus. Vtrique leges natura tulit, numerum, pondus & menſuram: & columnis (Herculeis mobilibus minus) inſcripſit, *Ne quid vltra*, *Ne quid nimis*. Citra autem non præcepit, ſed permiſit, vt cuique voluntas eſt, non viuere duntaxat ſed durare. Sit idipſum nauis & maris argumentum, in quo quæ minus ſubſunt oneri, abſunt magis periculo, & expeditæ inſuper leui aquarum hiatu, leni murmure, nant potius quam nauigant, aurâ quaſi animâ concitatæ; quando ex aduerſo vaſta nauigia maiori onere quam aluo indignatum mare pondere premunt, & ſua ſibi mole moleſti, inde interitum accipiunt, hinc impedimētū.

Inſtar humani corporis.

XXVII. *Nauium inæqualium deſcriptio.*

Vtriuſque exemplum olim in Romanâ claſſe Orbis admirationi, Vrbis vtilitati præiuit. Numque hac veritate ſtetit illa victoria, qua oriūdos Ægypto Antonij & Cleopatræ tumultus Cæſar ſuperauit. Nimirum non numero nauium præſtitit, ſed par-

XXVIII. Flor. l. 4. cap. 11. *Victoria maritima Cæſaris ex Antonio & Cleopatra*

uitate, vt aduerſæ claſsi moles exitio fuit quæ vrbium ſpecie turritæ non ſine gemitu maris & labore ventorum ferebantur. Adeo etiam corporum noſtrorum vehicula paulò minus vacua eſſe volunt vt vehantur.
XXIX. Atque vt in exercitu cómeatus abundans, vaſa, veſtes ac ſimilia diuinauit talia fore qualia nunc ſunt, qui primus appellauit Impedimenta, quid ni nos ſi non de futuris philoſophari, ſaltem præterita ſapere poſſimus, atque inde imminentia cauere, vt ad annorum conſtãtiam adijciamus abſtinentiam, ad felicitatem vitæ ęgritudinis ictus & laborantis naturæ vitia neſciẽtem, quantum effætos tantum abſtinentes æmulæmur.

Senec. ep. 87.

Abſtinentia vitã producit, arcet ægritudines.

XXX. Maſſiniſſa Numidarũ rex notabili tẽperie in tãtâ licentiâ ſenectutẽ diſsimulauit, & quã alij decrepitam, ipſe iuuentam expertus iam nonagenarius veſtigio inſiſtens edebat, frugalitati ſuæ longiſsimam vitam & referens acceptam, & ſperans accipiendam. Galenus ille medicaminum magnus Apollo, cætera quidem peritus

Regis exẽplo.

Cælius Rodig. l. 30. c. 12

ritus, ſed abſtinentiam eſt expertus eo non ſolum ſenectutis, ſed ſanitatis beneficio, vt ſolâ vetuſtate diſſolutus citra omnem defectum fatiſcentem animam ex effœto corpore, ſed integro, quaſi manu miſerit. Quid de Paulo illo protoeremita, & plus quam prophetâ dicturus, qui vnius palmæ prouentu altus & amictus, laudatiſſimæ vitæ morâ meritis certauit ad centeſimum & decimum tertium progreſſus? Nimirum animam ſuam in huius mũdi vita peroſus, in æternã reſeruauit.

Medicè exemplo.

Sanctè etiam experientia comprobatur.

XXXI. Sed hæc eo differenda ſunt dum de Chriſtianæ temperantiæ fine, modo, methodo agemus: impar enim & inferius voto noſtro eſſe debet, vitâ virtutem metiri, & in abſtinentiâ annos tantum cogitare; cibi vſum ideo non admittere ſæpe, vt ſæpius admittamus. Non non (Auditores), non fiet, virtus vileſcere neſcit, nec in cuiuſquam ſeruitutem degenerare. Iſta Epicuri alumnis voluptatum candidatis concedamus, vt mentiti iuſtitiam multiplicent iniquitatem

Baronius to. 3. Ann. 343.

Nil profanum in abſtinentiam proponendũ.

virtute voluptati fœnerentur, cuius vſum interim omittebant, vt vſuras cumularent. Nos ita virtutem intueamur, vt quanquam non ſine commodo, non tamen ob commoda quæratur.

XXXII. *Se proba temperies animis ſine dote maritet.*

Vrb. VIII Poem. ad Fr. Anton. Cardin.

nuditate placeat omnis lucri ſpe quaſi veſte detracta. Iſta in ſuffragium verecundiæ, & formæ adminiculum excogitata, virtuti ſine vitio nequeunt adhiberi. Ametur ergo abſtinentia vnde eſt amabilis, vt illâ tanquam coctura remedio, ferri crepitantis iniectu fluxum voluptatis extinguamus; vt laſciuientem iuuentam, & in placita præcipitem fræno contineamus; vt contumaciam carnis & ſæuientem membrorum noſtrorum legem ſuperiori tribunali ſiſtentes, lege mentis relegemus. Atque ita quamuis carnem feriamus, non in ipſam ſed in vitia ipſius feramur. Quod olim celebrauit laudatiſsimo exemplo rex Dauid in rebelle Abſalone, quocum bella geſſit non inimicitias; ſibi victoriam, illi vitam

Sola virtus in virtute quærenda.

Fructus abſtinentiæ.

XXXIII. 2. Reg. 18.

op-

optauit. Etvniuerſim QVISQVE præceptor, & quicunque parens dum flagellat Filium, non puerum perſequitur, ſed puerilitatem. nec medicus infirmum odit, ſed morbum, quamuis ferro ac flammâ congeſtis, & durioribus malo remedijs fodiat in altum, lancinet in aduerſum, cute ac carne, & rubente ſtagno eo vſque vallatos artus, relicturus denique tot tormentis ſana, iam non membra ſed cicatrices.

Pænitētiæ exercitijs nō carnē, ſed vitia mulctamus.

Pulchrè exemplo medici & magiſtri oſtēditur.

XXXIV. Quanquam ſi ad perfectum hic velimus philoſophari, necdum Abſtinentia affecuta eſt dignū ſuæ operæ pretium, non adepta obiectum. Frænum fomitis, finis concupiſcentiæ, & quæcunque alia extra ipſam ſunt, infra illam manent.

Abſtinentia merces ipſū quod abſtinemus.

Ipſa vero virtus pretium ſibi, ſolaque late
Diuitiis animoſa ſuis.

Claud. in Pan. Malij The.

Sibi ad copiam abundans, ad honeſtatem conſecrata, etſi cætera non ſequantur. Ita finis modus, merces abſtinentiæ eſt abſtinuiſſe; & quamuis non ſolum vtilia, ſed honeſta præſcindas,

Ouid. ep. Helen. *Eſt virtus placitis abſtinuiſſe bonis.*

XXXV. O tu ergo omnis naturæ gratia Abſtinentia, humanæ ornamentum, Diuinæ conſortium: Tu nuditate amicta, paupertate pretioſa, optimis quibuſque etiam ſine commodo cara; quæ incolatu tuo ſæculum aureum, fugâ ferreum feciſti, illabere poſtliminio pectoribus noſtris, & redi regina in regnum tuum. Da cordi noſtro charitatem, carni concupiſcentiam tui: Imbue cum affectibus intellectus; & iam denique ſapiamus per te non auferri voluptates, ſed differri, & ſi ad vſum minui, ſed ad vſuras multiplicari.

DIXI.

PANEGYRICVS DECIMVS.

AVSPICATÆ ELECTIONI *Reuerendiſſimi Patris* F. IOANNIS MERINERI

Romanis Comitijs nuper aſſumpti in totius Ordinis Seraphici Miniſtrum Generalem.

ABSTINEREM facilis hoc electionis tuæ cõgaudio, etiam in tuo huc iterato acceſſu (Reuerendiſſime Pater) ſi quæ triuios oratores, quorum vænit eloquentia, impelleret me ad dicendum aut adulationis pruritus, aut libido magnatibus magna, & varia etſi vera dicendi, quæ, vt olim T. Liuium in huius vrbis hiſtoria amor incepti operis, in officio contineret. Sed enim facio quod ille ſatius feciſſet; caueo, quam incurrit apud alium I. *Perſtringuntur adulatores* *Lib. 1. Dec. 1.*

Plin. ad Veſpaſ. eo nomine notam, quod vrbis conditæ retro ad initia monumenta retexens, dum animus paſceretur in opere, non populi gentium victoris & Romani nominis gloriæ id præſtitit ſed ſibi.

II. *Intereſt religionis vt ſciatur hæc electio.* Ergo ego non tui cauſa ſed tuorum, non præfecturæ tuæ, ſed illius cui præfectus es populi vere Romani, hoc eſt, Apoſtolici, Seraphici gregis, ſtatui ipſi felicitatem, tuam dicam an illius aggratulari, & (quaſi capiti corporis ergo applicem fomenta) in tam ambitioſo religioſorum conſeſſu tot illuſtrem virtutibus electionem tuam omnium oculis ſubijcere in benefactorum tuorum tibi memoriam, illis exemplum.

III. Certe toties tot iam calamis, characteribus, ſtilis; ſcriptum, ſculptum, celebratum, Poëtis decantatum, Oratoribus declamatum, Philoſophis definitum, Ethicis conſultum eſt, HONORES virtutum præmia eſſe, nec ambitu ſed merito venire; virtutem honores ſemper trahere, nunquam ſequi; nunquam mercenariam, nunquam eſſe ſine mercede:

Honor vt vmbra virtutem ponè ſubit

de: honores virtutum non vota eſſe ſed ſtipendia, nunquam deſiderata, ſemper deſtinata. denique vtrumque inſeparabile inuicem, (vſq; adeo non ſeparatum) vt qui alterum poſſidere ſolum vellet non poſſet, & quamuis nolentem, tamen quia meritum dignitas ſequeretur honeſtum.

Hæc toties dicimus, ſæpius audimus, ſæpiſſimè lectitamus; tinniunt nobis aures, rauciunt guttura, calami fatiſcunt, & tamen animi deſciſcunt, deficiunt in puræ & indotatæ virtutis appetitu. Quotuſquiſq; ex ijs qui vouēt volunt incognitam illaudatam honeſtatem? Quam vere ille quam appoſite aduertit vt IV.

Virtus laudatur & alget

Segniter irritamanimum demiſſa per aures.

Horat. de V. Art. Poe. lib. 10.

Exercitio ergo exemplo opus eſt; & ecce habetis (PP) hoc hucuſq; audiuimus, hodie videmus in te Reuerendiſſime P. quem tuo ſtudio priuatâ re latitantem Reſpublica vetuit latere; quem fugientem honor inſequutus eſt, imo, nec fugientem vſque adeo non tantum, quia non memorem,

Exempla meriti honoris Reuerendiſſ. Generatis

quia nec meditantem. Superuenit ergo incauto dignitas, incidit inopinanti, quam ne caueres fecit non laxata ambitioni indulgentia, ſed profundum illud opinionis tuæ, qua ſemper te adeo iudicaſti indignum, vt à nemine non ſenſeris id iudicari: neque dubio reliquum in eo locum putaſti, quod ipſe tibi indubitatò perſuaſiſti. Quo modo ſi quis magis perſpicax, magis vegeti viſus, aut amota aut abſtruſa attingat familiaris obiecta, cæteris cæteroque imperuia; mirantur hinc inde, illi quod vnus iſte; iſte quod non vnuſquiſq; pertingat. Ergo ita in Tui humilitate fixiſti oculum, vt nihil in te videris, nihil ratus in Te alios videre. Sed enim quod dixi facta dictis ſuccedunt, fortuna virtutem, ſequela præmiſſas probauit. Iam fidem accepit Ethica illa, ab Ethnicis olim, amplius ab Ambroſio declamata & experientia inculcat quia Bona humilitas nihil appetendo totum quod contemnit adipiſcitur.

Imum ſapuit.

VI.

Ambroſ. libr. 6. in Luc.

VII.

Adeptus eſt ſummum.

Eia enim in te eſt bona humilitas, non quia contemptũ ſit adepta hono-

honorem, ſed quod acceptum ante contempſerit; & iam adipiſcitur contemptum: vndique tuta, at non ob hoc tutior: vndique beata, nec inde beatior, ſed ideo omnino, bona humilitas nihil appetendo, quamuis alias non appetita conſequatur. Ergo non immerito mei cauſâ ac meorum tuæ humilitatis celebritatem, aſſumpſi declamandam: vt ante fidem adepta iam factum accipiant, vt fortius *Vnde vtilis virtus humilitatis?* XI

Irritent animũ quæ demiſſa per aures *Hor. cit.*
Quæ iam ſunt oculis ſubiecta fidelibus: & quæ
Ipſe ſibi ſpectator ſubiicit,

quando te Reuerendiſſime Pater intuemur honores hos continentē, ſed contemnentem, dedignatum ſed adeptum; vt inde hauriamus non aure, ſed opere bonam humilitatem, quæ nihil appetendo, totum quod contemnit adipiſcitur.

VIII. Neque tamen Tu (Reuerendiſſime Generalis) ita ſine dignitatis merito fuiſti, ſicut fuiſti ſine ambitu, aut ideo noluiſti, quia non meruiſti imperare. Hoc tot argumẽtis probatam fidem iam accipere non *Merita Reuerendiſſimi Generalis.*

nō poteſt, dare poteſt ei qui Te ad maiora habitis, ad maxima quæq; aptum natum prædicaret ſiue naturâ ſiue induſtriâ, ſiue vtroque.

IX. In primis enim, vt omittam laudatiſſimam iuuentutem exactam in tyrocinio religionis, ibi deinde valuiſti eâ ingenij felicitate, quam præſtita per te opera declararunt. Statim enim ac diſcere deſijſti, docere cœpiſti; vbi docendi finem, ſcribendi feciſti principium, vt omnibus prodeſſes, quanquam non coràm adeſſes, quando ad omnes tua ſcripta veluti [fontes in plateas deriuarentur.] In quo etiam admirari ſatis, ſatius expedit imitari propoſiti tui puritatem, qui quanquam arduis dictandis eſſes plus quam maturus, voluiſti tamen vt pluribus prodeſſes ab imis incipere, & ante Theologica Logica dictare, vt in omnibus eruditus, in omnibus rudes erudires, omnibus omnia factus, quando per Te & incipiens poteſt perfici, & proficiens conſummari. Ibi ergo cœpiſti Artes ſcribere, vbi alumnis incipiendum eſt legere, ne minor

Docuit et ſcripſit.

Prou. 5.

Reuerendiſsimus Generalis Merinerus author eſt comm. in logicam.

eſſet

eſſet tua in adoleſcentiam diligentia, quam eſt ipſa adoleſcentum egeſtas. Et deinde felici pede progreſſus conſummaſſes Philoſophiæ curriculum, Theologiæ curſum niſi te neceſſaria Reipublicæ adminiſtratio abripuiſſet interrupto operi, & (ſpes eſt) non abijcere ſed ſuſpendere calamum voluiſſet; ceu quondam in huius Vrbis periculo, Lucium Quintum „ à rure ad vrbem, ab agricultura „ ad dictaturam reuocauit in ipſo „ aratro deprehenſum nobili pondere grauatum, dum ſtiuæ patricius nitebatur, qui expeditione „ finita, expedito tum extremè laborante Conſule rurſum repetiuit aratrum agricola triumphator: Hæc omnia Tibi me par eſt ominari, vtile optare, quando opus ab vtroq; intermiſſum tam tibi cũ illo commune eſt, quam proprie non ſolùm ſolum, ſed libri & litteræ exarantur. Illud ſaltem reliquum eſt vtrique diſcrimen, quòd ille paulo deinde poſt aut abiecit aut amiſit imperium; Tu non ſolum ſeruaſti ſed auxiſti ex domeſtico prælato factus Prouinciæ Mini-

A ſcriptione ad regimen aſſumptus

Luc. Flo lib. 1. c. 11

XII.

Ex Prouinciali prælato euadit Generalis

adminiſtrator, ex vnius prouinciæ omnium, vniuerſi Ordinis Miniſter generalis.

XIII. Deus bone quantum vno verbo huius Ordinis, huius vniuerſitatis concluſi? ſed concludam; id *Religio* vnum libet expendere, vbi, quãdo, *Seraphica* quibus, modo methodo, tam *quam au-* multæ religioni, religioſæ multitu- *guſta, quã* dini ſis præfectus: ſed expediam *ingens?* idipſum, Romæ electus es, Sancto Franciſco ſuffectus, vna voce omnium fere vocalium adſcitus es in generale caput illius corporis, *Tit. Liu.* quod vt populus Romanus, exi- „ *Dec. 1. l. 1.* guis profectum initijs, eo creuit, „ vt iam magnitudine laboret ſuâ.

XIV. Hoc ſi materiam quis æſtimet, maximum eſt; ſi modum, adhuc maius: neque enim Tu tanto honori natus es, ſed adſcitus, non origine ſed electione: certe digniori titulo, priore longe pretioſo, lon- *Electio* ge heroico magis. iſte enim ca- *præſtat* ſus fuerit, hic conſilij, ille naturæ, *ſucceſſio-* hic virtutis, denique iſte merito- *ni.* rum, ille fortunæ, quæ quamuis maxima donat, pretium donis ſuis demit ipſo impetu, ſola temeritate.

XV.

Ego

Ergo accepiſti honores(Reuerendiſſime Pater) non præſumpſiſti,aſcendiſti in altum,ſed [vocatus à Deo vtique tanquam Aaron] quo magis expectandum eſt vt ipſe miniſterium tuum impleat digne exordio; & quod Tibi dedit ſumere, ipſe det conſummare. Heb. 5.

XVI. Certe in aſſumptione tua, vt omittam quæ hactenus celebraui argumenta ſpiritus tum Diuini tũ tui, quo ille electionem tuam decreu,it Tu detrectaſti; adhuc ſingulare eſt ſignum omni exceptioni exemptum:quantum ſeu Tibi, ſeu tuis electoribus affuit, tot vbique conuentuum præuijs precibus, votis, vocibus & gemitibus, interpellatus ſpiritus Domini. *Diuinitus videtur prouiſus.*

XVII. Enimuero V B I humanæ ambitionis cæcis cuniculis, diſpoſiti labores ducunt ad prætenſum gradum, per faſq; nefaſq; *Ambitionis charaĉteres.*

qua data porta ruunt, Virgil. Æneid.

& id aſſequuntur, quod ſunt inſequuti; ſola naturæ, ſeu ſola induſtriæ eſt, vtrobique humana tantum diligentia, opus hominis duntaxat, permiſſio Diuina, vtinam duntaxat ac non

etiam

etiam vltio: vbi vero ſuperuenit honor non ambienti, ſed nec ſciē-
Exod. 8. Spiritus argumentū. ti vtique [digitus Dei eſt.] VBI diſpoſita ad ſcopum humanæ ambitionis media quaſi retorta inde alio repulſa reſiliunt, & eo vertunt vnde ante diuertebant, vtiq; manus Domini eſt, ad quem ea omnia referenda ſunt, quibus aut non inuenimus in naturalibus cauſas aut non niſi contrarias. Et quis ex Patribus conſcriptis in Comitijs tuis minus procurauit, magis deſperauit miniſterium quam Tu, idcirco iam merito miniſter

XIX. *Inſcius eligitur: etiam negligens.* Generalis? Audiui à vidente, qui Te non ſolum aſpexit ſed apprehendit ſopitum: dormiebas altum non ſapiebas, vbi altum ſubibas, vſque adeo nullius hic diligentiæ, pænè etiam negligentiæ eras reus.

O ter quaterq; beatum, diuinitus deſtinatum, vocatum vt Aaron hominibus non humanitus datum. Atq; hæc ſunt Prælationis

XX. tuæ (Reuerēdiſſime Pater) diuinis characteribus ſignata exordia vtiq; & toti miniſterio affutura. Tantum progredere, ipſe ſequetur

nec

nec enim incepit quod non valet, quod non volet conſummare. Tantum procede quo pede cepiſti, & vtique aderit qui te vnxit ſpiritus Domini, atq; quem aſpirando præuenit, adiuuando proſequetur. Eia age progredere, ſuccede ducenti; accipe ab eodem imperandi & materiam & modum; ipſum ſcilicet quo te prouexit, vt Tu in aliis deinde euehendis attendas non aliena ſuffragia, ſed propria merita, nec ambitu procurantûm ducaris, ſed recuſantium fugâ. XXI.

In regimine poteſt ſibi eſſe pretotypus.

DIXI.

IN-

Aduentus S. Patritii in Hyberniam præſcitus à Magis . Orat.3. *num.*19
Adulatores perſtringuntur . Orat. 1.*nu.* 1
Africa ſemper habet aliquid noui. Orat.9. *num.* 10
Agathocl's ſingulare exemplum cõtinentiæ Orat. 4. *num.* 31
Alexander Alenſis Doctor Irrefragabilis.. Orat. 8. *num.* 32
Alexandri Macedonis magnitudo. Orat.5. *num.*25
Aliud agere, aliud prædicare virtutem . Orat. 5. *num.*2.
Altitudo & dignitas orationis. Orat.5.*n.*8
Ambitionis characteres. Orat. 10.*num.*17
Amare & ſapere arduum. Orat.6. *num.*33
Amplitudine ſua arctantur Magnates. Orat. 2. *num.*1
Animalia Chriſti infantis conſortio conſecrata . Orat.7. *nu.* 12.
Anterii gigantis ſtratagema. Orat.5.*n.*22 *Iacob Patriarcham expreſsit illud.*
Antiquis vicina delubra virtutis, & honoris . Orat.4. *nu.*27
Antonii Barberini Cardinalis digna humanitas. Orat.2. *n.* 2. *cum prudentiæ laude altitudinem humilitate temperauit. nu.*5. *quam abundent in ipſo ornamento naturæ, ac fortunæ.n.* 9. *cõmunia eius benefacta. nu.* 12. *in fabricis religioſa munificentia* . *n.* 16. *priuatæ eleemoſy-*

moſyna.n.18.indoles ad omnia.n. 24.cũ ſuo germano ſratre Cardinali Franciſco Barberino pharmacopolium pauperibus conſtituit. n.19. eſt Protector Hyberniæ. ibid. eius cum purpura geſta. nu. 25. dignus Cardinale acceſſus ad ſuos in S.Iſidoro, & conuictus. nu.26

Ardua res, rebus ſecundis temperare. Orat.4. nu.1.

Arduum tentare Virginis Matris exprimendam venuſtatem. Orat, 1. nu.3

Arma Deorum gentilium, quæ. Ora.6.n.33

Ars & natura deficiunt, niſi è cælo moueantur. Orat. 4. n. 21

Ars naturæ æmula. Orat. 6. n.22

Aſpectus B.Virginis expugnabat aſpicientium impudicitiam. Orat.1. n 17

Athenienſium legitima de legibus ferẽdis. Orat. 2. n. 3

Author ex diſcipulo aſſumptus ſubitò in profeſſorem. Orat.6.n.1. cur debeat docere. ibid. n.3. expedita Philoſophia Lectione Theologiam aggreditur. Orat. 8. n. 1. eius ſinceritas. nu.33. affectus & officia erga auditores ſuos. ibid. patria & parentes. in epiſtola dedicatoria.

B

B*Arberina nobilitas ſingularis. Orat. 2. nu. 10. ex illa familia eſt Vrbanus*

Octauus

Octauus Pont. Max. ibid. nomen Barborini quid portendat. n.22

C

CÆli an materia conſtent, vel an noſtrate? Orat.6. nu.17
Caſaris victoria maritima ex Antonio & Cleopatra. Orat. 9. n. 28
Cãdelabri templi Salomonis myſtica ſtructura. Orat.8. n. 6. repræſentabat orbes planetarios & eorũ motus. ibid. n.11. & 12
Carnibus initio, an homini interdictum? Orat.9. nu. 19. earum vſus à diluuio. ibid. nu.20
S. Carolus Cardinalis Borromæus Hyberniæ quondam Protector. Orat.2. n.28
Cartheorum familia in Hybernia quondã regalis. Orat. 4. n.4
Caſtelhauen Comitatus in Hybernia. ibid. nu.7
Cautela authori neceſſaria in perorando electionẽ Illuſtriſs. Brũduſini. Orat.4. n.2
Centuplum fidelibus promiſſum in contemplatione præſtatur. Orat.5. n.14
Chriſti humilitas eſt noſtra prouectio. Or. 7 n.16. Circũciſio & nomen. Orat.8. n.23. illius in nos quanta beneficia. Orat. 7. n.16. eius incruenta victoria glorioſa. Orat.6. n.31. cur ab vtero ſtatim ærũnis qonoxius. Orat.7. n.16. in agonibus non

curſor tantum, ſed præda. ibid. in natiuitate profeſſorem agit, & prædicatorem. ibid. n.19. Academia eius in Bethlehē. ibid. n.20. exemplo docet. ibid. nu. 21. ille omnes conuincit. ibid. recens natus ne quidem reſpirare pure poteſt. ibid. nu. 12. eius paſſionum cauſa genuina Theologicè exponitur. nu. 16. medius animalium paritur. nu. 12. inſtar muri eſt Eccleſiæ ſuæ. n. 19. inde illi omnes ærumnæ. ibid.

Cibi medicamenta ſunt infirmorū. Orat. 7 n. 23. moderati alunt, vltra modum ſunt mortiferi. ibid. n. 24.

Clades belli Punici ſecundi. Orat. 4. num. 32

S. Claræ virginis orationis efficacia. Orat. 5. n. 20. & 21

Conuictus eſt character amoris. Orat. 2. num. 6

Corona apud Romanos quæ, quibus data, Orat. 3. n. 3. non præmia ſunt, ſed indicia meritorum. ibid. n. 8

Corporalia ſubſidia parce admittere valde conſultum. Orat. 9. n. 17. quis modus in illis habendus. ibid.

Corporis vita, & ſpiritualis ſemper aduerſa. Orat. 9. n. 11

Corpus humanum cibis repletum inſtar nauis oppreſſæ onere. Orat. 9. n. 26

Cupido cur antiquis cæcus. Orat. 1. nu. 16

Daniel

D

DAniel Propheta inter feras deſcribitur. Orat.5. nu.
Demoſthenis & Ariſtotelis diuerſa excellentia. Orat.4. nu.24
Deorum gentilium ſingulorum arma. Orat.6. nu. 33
Deſcriptio Nauium. Orat.9. n.27
Deſcriptio gulæ ſatyrica.Orat.9. n.10
Deſcriptio prædicamentorum Rhetorica. Orat.6. nu. 15
Deſcriptio domus aureæ Neronis Orat.6. n.6 motũ orbiũ cœleſtiũ imitatur.ibid.
Deus l. b ns erogat orãti ſua.Orat.5.n.24. eſt inſtar ſphæræ infinitæ. ibid. cur adeò faueat abſtemiis? Orat. 9 n.12. eſt abſtinentiæ exemplar.ibid. ſemper agit ſine periculo exceſſus . ibid. inde laudabilis, quia non poteſt laudari. Orat.8.nu.21. quomodo pro hoc ſtatu ſciatur?ibid.n.22. eius cultus cuique facilis. Orat.1. nu.2. illius dexteritas in formanda B.V.ibid. n.24. ipſo doctore citò diſcitur . Orat.7. num 24.altitudinem ſe humiliantis cogitat. Orat.4. nu.14.
Dies noctibus indiuiſi in tranſitu S. Patritii. Orat.3. n 25
Difficultas celebrãdi S.Patriciũ.Or.3. n.1
Difficultas conuerſionis Hyberniæ. ibidem. nu.27

Fr. Dionyſii O-Driſcoll Hyberni, Archiepiſcopi Brunduſini nobilitas. Orat. 4. nu. 4. vocatio ad religionem S P. N. Franciſci. nu. 8. Ipſi via ad honorem fuit humilitas. n. 14. & 15. docuit in religione etiam adhuc iuuenis. nu. 16. cathedram accepit apud exteros. ibid. n. 17. ex Philoſopho Theologiæ profeſſor. n. 19. in Hiſpania factus Fidei Cenſor. n. 23. prædicator famoſus. ibid. in Præſulem ex meritis aſſumitur. n. 26. aſſumptio eius vtrique conduxit virtuti & dignitati, n. 29

Diuerſorũ animantium voces aut verius ſoni. Orat. 5, n. 15

Duris à teneris aſſueſcere vtile eſt. Orat. 7. num. 5

E

ECcleſia vtitur argumentis, quibus eſt impetita. Orat. 6, n. 29. quam conſulte admiſerit ſæculares diſciplinas? ibid. n. 30

Electio præſtat ſucceſsioni. Orat. 10. nu. 14

Emblemata Motus, Quietis, Materiæ, Formæ, Compoſiti, Naturæ, Artis, Temporis, Æternitatis. Orat. 6. n. 16

Epiſcopatus olim non honor, ſed onus. Orat. 3. n. 17. parum ambiebatur. n. 18

Ethnici ambiebant apparere Diis ſuis familiares. Orat. 5. nu. 11

Ethnicorum quorundam notabiles virtutes. ibid. n. 24

Euchariſtia Sacramentum. Orat. 8. n. 28

Exte-

Extera ornamenta quomodo fiant propria? Orat.4. nu. 3

F

Familia O-Driſcoll in Hybernia, quanta? Orat.4. n.5

Familia Cartheorum quondam Regia. ibid. n.4

Flamma, quæ antiquitus vorabat ſacrificia, quid portenderit? Orat.2. n.6

Fortuita contemnere pulchrum. Orat.1. num. vlt.

Fortunæ minimũ debuit Virgo Maria.16. num 22

Frugalitatis in victu neceſſitas ratione conuincitur. Orat.9. n.22

G

Generatio actiua & paſſiua Dei deſcribitur. Orat.8. n.22

Gentiles abſtemii. Orat.9. n.23

Grmma cæleſtis genituræ.ibid. nu.5

Germania & Africa veteri Romæ rebellarunt. Orat.3. n.22

Gratia diuinæ naturæ.Orat.8 nu.29

Gulæ exceſſus amplificatur, & exaggeratur Orat.9. n.10

H

Helena pretioſa pulchritudo. Orat.1. num.13

Herculis biſſena trophæa inſtar Zodiaci caleſtis.Orat.7. nu.15

Hybernia à fide ſemel ſuſcepta nunquam de-

deſciuit. Orat.2 n.20.qualis in infidelitate? Orat.3. nu.19. aliis regionibus ſanctos communicauit. ibid. num. 30.

Hybernia Protector quondam S. Carolus Borromaus. Orat.2.num.vlt. Modernus Card. Antonius Barberinus, Vrbani Octaui nepos.ibid.nu.19

Hybernorum laudatiſſima in fide conſtãtia. Orat.2.nu.20.& Orat.3.n.14. perſecutionibus profecerunt ad pietatem. Orat 3. nu.27. olim toto Orbe celebres profeſſione literarum. Or.4.n.18. Romanorum veterum aſſecuti. ibid.n.32

Hybernorum Sanctorum numerus innumerus. Orat.3.n.13. ex iis quamplurimi in alias regiones penetrarunt. ibid.n.18. & Orat.4. n.34

Hiſpania ingeniorum æſtimatrix. Orat.4. num.23

Homo arbor inuerſa. Orat.9.n.4

Honor verus quis? Orat. 10. n.3

Honor eſt magnis colloqui Orat.5.nu.3

Honor vt vmbra virtutem pone ſubit. Orat.10. n.8

Honor aliquid virtuti cõducit. Or.4.n. 28

Honores quibus mutant mores. ibidem num 31

Humilitas non cupit, ſed capit altum. Ibid.n.13. eſt via ad honores.nu.14. eſt fundamentum religioſæ perfectionis. ibid. nu.12

Hu.

Humiliantis ſe altitudinem cogitat non ipſe, ſed Deus. n. 14

I

IAcob Patriarcha quis complex in luϐta? Orat. 5. n. 23
Ieiunia S. Patritii. Orat. 3. n. 14
Ignis meritis S. Patricii ethnicum incendit, ſeruat Chriſtianum. Orat. 3. n. 5
Incarnatio Verbi Dei deſcribitur. Orat. 8. num. 23
In Collegio S. Iſidori Romano mos eſt profeſſores ante lectionem perorare Orat. 7. n. 3. & 8. n. 2
Incredibilis labor & fructus S. Patricii in Hybernia. Orat. 3. n. 29
Induſtria hominis diuinæ gratiæ addenda. Orat. 8. n. 30
Inſenſata ſunt exemplo Orationis. Orat. 5. n. 4
Intemperantia puerorũ deſcribitur. Or. 9. n. 8. in eorum damna redundat. ibid. ſymbolum eſt pœna prouectorum, quã gula incurrunt, eleganter oſtenſum. nu. 9
P. Ioannis Merineri electio religionis intereſt vt ſciatur. Orat. 10. n. 2. eius merita. n. 8. opera. n. 10. inſcius & negligens eligitur in Miniſtrum Generalem. nu. 19
Ioannes Scotus Doctor Subtilis. Orat. 8. n. 32. penuria temporis nihil impeditus

ab aſſecutione artium omnium. ibid.
S. Iob pædagogus orationis. Orat. 5. nu. 5
Iudæi quomodo olim facti hoſtibus ſuperiores. Orat. 5. nu. 19
Iudith ad miraculum pulchra, non ad ſufficientiam. Orat. 1. n. 9

L

Læuia & liquida Solem exprimunt. Orat. 5. nu. 9
Loci excellentia iuuat ad explicandum virtutem. Orat. 4. n. 30
Logica quodammodo mechanica eſt in fabrica inſtrumentorum. Orat. 8. num. 9. typus eius, ibid nu. 10. alius typus eiuſdem. Orat. 6. nu 11
Lucii Dẽtati facinora & corona. Or. 3. n. 3
Lucretiæ Romanæ forma, pudor, infortunium. Orat. 1. n. 12
Lunæ ſtatio ex ſcriptura deſcripta. Orat. 8. nu 24
Luxus gentilium in fabricis. Orat. 7. n. 10

M

Magnates ſua amplitudine arctantur. Orat. 2. n. 1
Magnitudinis & comitatis nobile duellum ibid.
Maria Virginis diuina pulchritudo deſcribitur à capite ad calcem. Orat. 1 nu. 6. eius organa affabre elaborata, & quare. nu. 7. in eius forma natura laborauit. n. 9.

n.9. dotes aliàs diſcordes in eam conue- nerunt. nu.14. eius aſpectus expugnabat aſpicientium impudicitiam. nu. 17. non ſolum Mater fuit, ſed fœcunda. num. 19. virtutum conſenſus in eius ornamentũ. nu.21. minimum fortunæ debuit. nu. 22. expoſita eſt Mundo in miraculum. n. 23. dexteritas Dei artificis in ea formanda. num. 24. eius nobilitas ſumma, & conſtans. nu. 25

Maximi æſtimanda Chriſti Domini humilitas. Orat. 7. n. 2.

Menſa & candelabrum inuicẽ ex aduerſo ſita in Tabernaculo. Orat. 8. nu. 6. & quare? n. 12

Metaphyſica qualis? Orat. 6 n. 16. vt à Salomone expreſſa. ibid. vt à Pythagora. n. 18

Miracula, quæ in Natali Domini contigerunt. Orat. 7. n. 3

Miſſæ ſacrificium. Orat. 8. n. 24

Mortificationes S. Patricii. Orat. 3. n. 12

Mundus muliebris Virgini alienus. Ora. 1. nu. 4. & inutilis. n. 5

Mutatio Hyberniæ per fidem Chriſtianã. Orat. 5. nu. 28

N

NAſcente Domino cœlum & terra innouantur. Orat. 7. n. 3

Naſcẽtis Chriſti humilitas adoratur. ibid.

Natalis locus illius qualis? ibid. n. 9. itẽ domiciliũ. n. 10. & cubile quale. ibid.

tempus cuiuſmodi, & quare. nu.5. & 6
Natiuitati Dominicæ debitũ Chriſtianæ eloquētiæ obſequium. Orat.7. n.2. illius vberes fructus. ibid. prodigia ibid. nu.3. ad ipſam tempus ipſum properauit. nu.4
Natura laborauit in forma Virg. Mariæ. Orat.1. nu.9
Natus Dominus agit profeſſorem & prædicatorem. Orat.7. n.19
Nauigia: vt onere opprimũtur. Ora.9. n.26 habent inſtar corporis humani. n.27
Nauium inæqualium oratoria deſcriptio ibid.

O

OBedientia poteſt aliàs impoſſibile. Orat.9. n.4
Obedientiæ nobile exemplum. ibid.
ObiectaTheologica accurate explicantur. Orat.8. n.22
Obſcuritas antiquorum in tradendaTheologia vnde. ibid. nu.1
Olerum vſus à principio. ibid. nu.19. quid habeat myſterii? ibid.
Omnis eloquentia in Natali Chriſti occupanda. Orat.7. nu.2
Orans quaſi in ſcena agit. Orat.5. n.12
Oratio aſſimilat orantem Deo. ibid. num.9 fructus ipſius. n.13. iuuat ad tēporalia bona. n.17. omnia vincit vitia. nu.18
Oratio S. Claræ virg. miraculo confirmata. ibid. n.21

Oratio P. Scipionis armauit, & animauit exercitum. Orat.8. nu.20. in authorē & auditores eius exacte quadrat. ibi.
Orbis vniuerſus CHRISTI Domini Noſtri Natalem celebrauit. Orat.7. n.3.

P

PAræneſis à Moyſe habita ad Hebræos. Orat.8. n.29
S. Patritius Canonicus regularis Lateranenſis. Orat.3. nu.6 audit pro merito Hyberniæ Apoſtolus. n. 7. imo multarū gentium, & vniuerſim Aquilonis n. 18. à teneris paſtor, n. 10 exercetur aduerſitatibus ad patientiam. n.10. fuit nepos S. Martini Turonenſis. n.6. adit S. Germanum Epiſcopum Antiſiodorenſem ibid. diuinitùs prælatus eſt Palladio ad Hyberniæ conuerſionem. num.17. mitior Moyſe. nu.21. repetit priorum Sanctorū miracula. n. 24. audit pueros ex vteris maternis clamantes. n.25. in nouiſſimo ipſe Hybernos ſuos iudicabit. n. vltimo.
Philoſophi rerum inuentores Orat.6. nu.12. quantus honos illis olim delatus? n. 25. etiam poſt funera. ibid.
Philoſophia naturam noſtram corrigimus, alienam domamus. ibid. n.22
Philoſophiæ obſcuritas, ibid. n.4. an in Eccleſia vtilis aut admittenda? num.27.

Philoſophiæ Chriſtianæ aduerſarii conuincuntur. n.18. eius ſymbolum in palatio Salomonis. nu. 16
Pœnitentia exercitiis non carnem, ſed vitia mulctamus. Orat.9. n.33
Populi Hyberniæ, vt ad fidem conuerſi? Orat. 3. nu.21
Prædicabiliũ Porphirii officia. Orat.6.n.13
Prædicamentorum rhetorica deſcriptio. ibid. n. 15
Purgatorium S. Patricii ſtrictim deſcribitur. Orat.3. n.26

Q

QVam obſtrictus author S. Patricio? Orat.3. n.2

R

RAchel pulchrior, Lia fœcundior? Orat. 1. n. 10.
Reges Hyberniæ qualiter conuerſi? Orat.3. num.21
Regulares tuto fiunt Præſules Eccleſiarũ. Orat.4. nu. 27 ſanctè interim ſeruant priſtini habitus colorem ibid. n.31
Religio perorandi de S.Patricio Orat.3.n.1
Religio Seraphica augusta. Orat. 10. n.13. item Orat.8. n 51
Religionis profeſſio eſt vera dignitatis Or.4. n.8. fundamentum eius humilitas. n.12
Romulus expoſitus. Orat. 7. n.16

Salo-

S

Salomonis palatium deſcribitur. Ora.6. n.7. quandiu extractũ? ibid. illius menſa ciborum emiſsio. nu.8. fabrica eius myſtica erat. n.10. tribunal Salomonis vbi? nu.13. an Salomon tria domicilia ſeparatim ædificauerit, vt Scriptura innuit? n.11. ænigma eius ſuper abſtinentia neceſſitate. Orat. 9. nu.7

Sancta Sanctorum vbi, & qualia? Orat. 8. num. 17

Sancti Hyberni per alias prouincias ſparſi Orat. 3. nu. 18. & Orat. 4. n. 34

Seculi blandimenta ſpreta fœnerantur. Orat. 4. nu. 9

Semen amoris eſt amor. Orat. 8. n. vlt.

Socratis diſcipuli quales? Orat. 4. n. 15

Sol in Chriſti Natiuitate apparuit ſpicis cinctus. Orat. 7. n. 3

Solis prodigioſæ ſtationes. Orat. 3. nu. 11. & Orat. 8. nu. 27

Solitudo inter Ægyptum & Palæſtinam intemperanter æſtuans. Orat. 8 n. 16

Species inimica pudori. Orat. 1 n. 16

Spiritus Sanctus qualis & quomodo procedit? Orat. 8. nu. 22

Stabuli Dominicæ Natiuitatis indignitas exaggeratur. Orat. 7. nu. 11

Stupenda prodigia Sancti Patricii. Orat. 3. num. 23

Subſtantia & Accidentium conditiones. Orat. 6. n. 13. & 14

Superiorum imperium excuſat inferiorum impotentiam. Orat. 9. nu. 3

Suprema corona ſunt ipſa virtutes. Ora. 3. nu. 8

Symbolum Sanctiſſimæ Trinitatis exhibitum in CHRISTI Natiuitate. Orat. 7. num. 3

T

Tabernaculum fuit templi compendium Orat 8. num. 3. & *Philoſophiæ ſimulachrum.* n. 8

Tentoria tabernaculi deſcripta. ibid. n. 4. & 5

Theologia variè à diuerſis tradita. Ora. 8. n. 1. *eſt ſuprema ſcientia.* ibid. nu. 12. *deſignata per Sancta Sanctorum* n. 16. *vt exactè definienda.* nu. 13. *è cælo haurienda* nu. 29. *in illa viatorum concurrunt contraria.* nu. 14 *inſtar columnæ ignis, & nubis.* n 18. *eius aſſecutio quã operoſa?* nu. 19. *ſtudium quam vile?* num. 28

Theologus inſtar aucupis, item Cupidini comparatur. Orat. ead. nu. 14

Tinea dignitatum Orat 4. nu. 31

Tres pueri Hebræi in fornace deſcribuntur. Orat. 5. n.

Tres Soles apparuerunt in Chriſti Natiuitate. Orat. 7. n. 3
Trinitas Dei deſcribitur. Orat. 8. nu. 22
Triumphabant apud Romanos, qui bello indicto ex S. C pugnaſſent. Orat. 3. n.
Tumultus ſublunarium. Orat. 6. n. 19

V

Ventris & Veneris concupiſcentia difficulter frænantur Orat. 5. n. 16
Virtutum quarundam actus & oppoſitio. ibid. num. 6
Viſio Dei quantum ſit in hominum votis ? ibid. nu. 13
Viſio Beata Dei conceſſa in terris S. Patricio Hyberniæ Apoſtolo. Orat. 3. n. 10
Voluntarium martyrium S. Patricii. ibid. num. 13
Vox contra naturam Verbo prior cum S. Ioannes Baptiſta CHRISTO præiuit. Orat. 7. nu. 1

LOCA BIBLICA
IN DECADE
Paſsim applicata, partim explicata.

Gene. 32 v. 24 ECCE vir luctabatur cum eo &c Or. 5. n. 23

49 v. 3 Quaſi olera virentia tradidi vobis omnia. Orat. 9. n. 18.

ibid. 2 Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animantia terræ. ibid. n. 20.

38 27 Obſtetrix ligauit coccinum in manu eius. Orat. 2. num. 24

49 22 Filius accreſcens &c. Or. 4. num. 14

50 20 Dominus illud vertit in bonum. ibidem.

Exod. 3 v. 2 Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi, &c. Orat. 3. n. 26

4 v. 26 Spõſus ſanguinũ. Or. 7. n. 16

8 v. 19 Digitus Dei eſt hic. Or. 10. num. 18

Agnus

12 v. 5 Agnus anniculus. Or.4.n.11
15 11 Quis ſimilis tui in fortibus? Orat.3.nu.6
25 v.32 Sex calami egredientur de lateribus eius. Or.8.n.6
26 35 Extra velum menſam pones, &c. ibid.nu.12
Num. 22 v.4 Ita delebit populus hic omnes, ſicut ſolet bos herbas carpere. Oration.5. nu.19
28 4 Holocauſtum matutinum. Orat.4.n. 11.
Deut. 11 10 Terra, quam ingrederis poſſidendam, non eſt ſicut terra Ægypti. Orat.8. n.
17 15 Princeps è numero fratrum eligatur. Or.4.n.27
1.Reg 6 12 Ibant in directum vaccę, & non declinabant pergẽtes, & mugiẽtes. Orat. 3. num.26
14 20 Verſus fuit gladius vniuſcuiuſq; ad proximum ſuũ, Orat.3.n. eod.
3.Reg 7 10 Fundamenta eius de lapidibus pretioſis. Or.6.n.9
Ibid. Porticum columnarum fecit & alteram porticum in facie maioris &c.ib.n.12

Requie-

4Reg. 2 v. 9 Requieuit ſpiritus duplex.
Iob. 9 v. 9 Qui facit Arcturũ,& Oriona, & Hyadas, & interiora Auſtri. Orat.8.n.38
28 25 Facit ventis pondus....
Pſal. 44 v.5 Specie tua & pulchritudine procede. Orat.6.n.34
76 20 In mari viæ tuæ &c.Or.3.n.
92 1 Dominus regnauit decorem indutus eſt.
110 4 Summam fecit mirabilium ſuorum.
127 3 Vxor tua ſicut vitis. Orat. 2. num. 21
Prou. 5 v.16 Deriuentur fontes tui in plateas. Orat. 10.nu.9
9 1 Sapientia ædificauit ſibi domum. Orat.6.n.4
Sap. 10 v. 5 Fuit illis in velamento diei. Orat.8.nu.22
18 14 Dum mediũ ſilentiũ contineret omnia &c. Or.7.n.5
18 3 Propter hoc ignis ardentem columnã ducem habuerunt. Orat. 8. nu. 21
Cant. 1 v. 3 Memores vberum.
2 7 Aſpiret dies & inclinentur vmbræ.
4 9 Vulneraſti cor meum in vno oculorũ.Or. 8.n.14

Tur-

4 4 Turris Dauid, quæ ædifica-
ta eſt cum propugnacu-
lis. Orat. 8. nu.25.
6 9 Pulchra vt Luna. Or.5.n.10
7 1 Quid videbis in Sulamite ni-
ſi choros caſtrorũ. Or.5.
nu.21
7 5 Reſpicit contra Damaſcũ,
Orat. & num. 25
7 2 Venter tuus ſicut aceruus
tritici. Orat. 1. n.20
Eccl. 10 v. 16 Væ terræ, cuius Rex puer
eſt,& cuius Principes ma
ne comedunt. Or. 9. n.17
Ibid. 17 Beata terra, cuius Princi-
pes veſcuntur in tempo-
re ſuo ibid.
12 13 Finem loquẽdi pariter om-
nes audiamus. Or.2. n.3
Eccl. 24 v.24 Ego mater pulchrę dilectio-
nis. Orat.1.nu. 18
Quaſi cedrus exaltata ſum.
ibid.Orat.1.n.14
24 26 Tranſitę ad me omnes qui
concupiſcitis me, &
a generationibus meis
implemini. ibid. nu. 19
37 34 Qui abſtinens eſt adiiciet ſi-
bi vitam. Or.9.n.25
Iſaia. 26 v.1 Vrbs fortitudinis noſtræ Siõ
Sal ua-

Saluator ponetur in ea murus & antemurale. Orat. 7. nu. 17

Thre. 3 27 Leuabit ſe ſupra ſe. Or. 5. n. 8

Dan. 5 v. 27 Inuentus minus habens. Orat. 6. nu. 32

9 23 Vir deſideriorũ. Or. 5. n. 16

Oſeæ. 12 10 Aſſimilatus eſt in manibus prophetarum. Or. 5. n. 20

Mich. 5 2 Bethlehem terra Iuda nequaquam minima &c. Orat 7. nu. 9

Math. 1 1 Liber generationis Ieſu Chriſti. Orat. 7. n. 22

Luc. 2 7 Peperit filium ſuum primogenitum. Or. 1. num. 19

ibid. 15 Tranſeamus vſque Bethlehem. Orat. 7. num. 9

11 5 Quis veſtrum habebit amicum, & dicet, Commoda mihi tres panes &c. Orat. 5. n. 24

18 31 Aſcendimus Hieroſolymam. Orat. 4. n. 9

Ioan. 1 v. 6 Homo miſſus à Deo vt teſtimonium perhiberet.

19 5 Ecce homo. Or. 7. nu. 22

Act. 17 23 Ignoto Deo.

Rom. 11 v. 33 O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Orat.

			Orat. 6. num. 21
	14	2	Qui infirmus eſt, olus manducet. Orat. 9. nu. 22
1.Cor	13	1	Æs ſonans aut cymbalum. Orat. 5. num. 2
2.Cor	10	5	Arma militiæ noſtræ. Or. 8. num. 20
Tit.	12		Audiuit arcana verba. Or. 5. num. 25
Hebr.	2	8	Verbum ſanum irreprehenſibile. Orat. 4. nu. 25
	5	4	A Deo vocatus tanquam Aaron. Orat. 10. nu. 15
	11	13	Obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, caſtra verterunt exterorum. Orat. 5. n. 20
Apoc.	22	13	Α & Ω. Orat. 8. nu. 20

SEN-

SENTENTIAE
DECADI INSPERSÆ.

IN Deorum *cultu nullius ſordida eſt inopia, nullius proſcripta impotentia: cui thure non licet, fas eſt farina litare.* Orat. 1. *num.* 2

Mundus *muliebris cumulus eſt crepundiorum, quem illa ſtudioſa ambitione congerũt, qua charius volunt mentiri. ibid. nu.* 4

Non numerus *pretium rebus facit, ſed virtus, qua multitudinem ſolitudine reddit, etiam excedit. ibid. n.* 20

Obnoxia *ſorti additamenta tum pręcipuè adſunt ad ornatum, quando deſunt ad pompã; & vel maxime euehunt ſe faſtidientem, cũ ea ſibi quaſi ſubtus diſpoſitos gradus victor animus calcata ſubiecit. ibid. nu.* 26

Auarus *non minus habitis eget quàm adquirendis; vt ſtatuam tam integrant ſegmenta quæ perdidit, quàm quæ reſeruauit.* Ora. 1 *num. vltimò.*

Magnitudinis *ſeruitus eſt, non poſſe fieri minorem.* Orat. 2. *nu.* 1

Nihil *Principe dignius quàm dignatio, qua altitudinem ſuam ſic inclinat, vt ſuis non tã ſupereſſe gaudeat, quàm intereſſe ſuſtineat par magis quam ſuperior. ibid. nu.* 3

Cõmunicatio *imperii inuitat obedientiam: & quis*

& quiſq; lubentius iugũ ducit quod non ferre tãtum,ſed inferre ſibi videatur. ibid,n.4

Vt quæque*poteſtas eſt impatiens conſortis,ita cuiuſq; ſors eſt auida poteſtatis,quam in ſuperiorum acceſſu aſſecutos ſe ſubditi arbitrantur:*Con*ſortium Principis eſt participiũ principatus . ibid.*

Coronæ *quamuis pretioſa heroum non augent honorem, ſed indicant,nec addunt egentibus,ſed declarant diuites .* Orat.3. *n.*8

Nulla *auguſtior corona, nullum dignius diadema, quàm glorioſa facinora, quibus quis meruit coronari . ibid,*

Aduerſa *minus eſt aduerſa fortuna; & facilius eſt difficilia perſtringere , quàm læta moderari .* Orat.4. *nu.*1

Facilius *timor quàm tumor deiicitur & humani animi elatio magnitudini ſui credula plus eſt quàm infirmitati. ibid.*

Diuina *ſeruitus libertatem , paupertas patrimonium , humilitas faſtigium non eripit , ſed inſtaurat: nec quiſquã his magis vtitur ad magnificentiã , quàm qui ea ipſa quadã quaſi tumida ſanctitate calcauit.ibid.nu.*9

Cogitatio *fabrica à fundamẽtis reſpuis humilitatem : & quisquis ea ſe conſilio volũtate magnitudinis abiicit, non ſubiectionẽ in imo incipit, ſed ſublimitatem.ibid. n.*13

Tinea *dignitatum eſt, qua immeriti quique , cum exteriori pompa intus induunt ſupercilium. ibid.num.*31

Cum

Cum magnis *voluiſſe ſat eſt, etſi nil vota ſequatur; & cum perdere ſit pudor, ipſe ambitus eſt honor: quoddam operæpretium eſt potuiſſe lucrari.* Orat. 5. nu. 9

Colloquium *imprimit oranti conſortẽ, & oratio numinis eſt ipſius aliqua participatio.* ibid. nu. 11

Vitia quidẽ *omnia acria, ſed duo ſunt indomita, ventris & Veneris irritamenta, quæ cuiuſque ſanctitatem quietam mordent, luctantem fatigant.* ibid. nu. 17

Nullus *Deo importunus eſt: nemo præſumere poteſt: illius beneficia ipſi nobis arctamus,* Orat. 5. num. vlt.

Omnia *in tranſitu ſunt non mota ſolum, ſed mutata, aliqua fortunæ impetu, omnia fati,* Orat. 6. num. 2

Satius eſt *ſubditos maiorum imperia attendere quàm exempla.* Orat. 7. nu. 1

Nullibi *nobis lingua liberius eſt Chriſto laxanda quam vbi ſuam ille perſtrinxit, vel maxime æſtimantibus quam abiecit ille ſui æſtimationem.* Orat. 7. nu 2

Vt corporũ *venuſtatem veſtium apparatus qui auget abdit & vetat videri digniſſimã viſu, ita quæ antiqui quaſi flamines obduxirunt picta acupeplà Theologicæ dignitati, ornant eam, & operiunt, vt addiſcentum diligentiam quaſi procorum pruritum ipſum quod irritat, accendat.* Orat. 8. nu. 1.

Velat diem *Theologia viatorum, reuelat noctem*

*Etem, quando beatam viſionem prohibet, quam promittit. ibid.nu.*21

Summa Dei *laus eſt non poſſet laudari: eulogium ei primum de ſuæ maieſtatis conſcietia, proximum ex ſilentio noſtro, quod qui audet interrumpere, patientiam Dei magis quàm excellentiam declamat. ibid.*

Vtilis & obuia *eſt gratia Dei. facilis etiã, & facilitatrix, nec diſſimulari poteſt, nec deſperari; nihil illi arduum eſt, nec quidquam abiectum. ibid.n.*

Nihil *ignẽ concepit, quod nõ pareret, nec quiſquam tam contumax eſt, quem beneficium non trahat ad beneuolentiam. ibid. nu.*46

Succinũ *gratitudinis eſt gratificari, magnes amicitiæ amor. ibid. nu.vlt.*

Etſi nemo *cauſa cadit niſi qui vincitur, non quiſque tamẽ honori ſuo conſtat, qui æquari ſe patitur ab imo, nec quiſpiam degeneri par eſt qui non degenerauit.* Orat.9.n.2

Quomodo *infra ſpirituũ beatam ſimplicitatem bipartitus eſt homo, ita inſtar eſt illæ bilancis, cuius partem ſi vnam preſſeris, alteram promouebis.*

Fames, ſitis, *nuditas, voces infirmorum ſunt remedia poſtulantium; quæ etiam qui adquiſiuit, non ideo ſanitatem habet, ſed interuallum morbi, aut etiam irritamentum. ibid. nu.* 15

Vera libertas, *eorum quibus nutritum ad interitum corpus hoc alitur admittere quam mi-*

*minimum, concupiſcere minus .ibid.n.*16

Ille quam maxime *ſorti ſe ſubduxit, qui fortuita ſibi minime indulſit, contentus neceſſariis, vt mortalitatis ſarcina pendat nõ quod poteſt, ſed quod debet. ibid. n.* 17

Honor verus *virtutis præmium eſt, nec ambitu, ſed merito venit. Orat.* 10.*n.*3

Virtus honorem *non ſequitur, ſed trahit, nunquam mercenaria, nunquam ſine mercede eſt.ibid.*

Honores virtutum *non vota ſunt, ſed ſtipendia nunquam deſiderata, ſemper deſtinata. ibid.*

Vbi diſpoſita *ad ſcopum humanæ ambitionis media quaſi repulſa inde aliò retorta reſiliunt, & eò vertunt, vnde ante diuertebãt, manus Domini eſt, ad quem ea omnia referenda ſunt, quibus aut non inuenimus in naturalibus cauſas, aut non niſi contrarias. ibid.nu.*17.

F I N I S.

Errata ſic corrige.

Pag. 8.lin 6 à ſe miſſos.leg.àTe miſſos.ibid.lin.23. multum l.multam. 20. lin. 10. Numini l. Numinis. 25.lin.10.laudum l laudem.51.lin.1. policito l. politico. ibid.lin.14.afflerueruntl. aſſeruerũt. 67 lin. pe. catenates l 1.catenatos.77 lin.24. plurſma l.plurima.80 lin 8 æeuandam l.æquãdam. 82.lin.penul. no l. non 108. lin. 10.carpera l carpere 118 lin.13. fundamentr l.fundamenta.125 lin.17.duici l.dulci. 133 l.penul inuidiia l. inuidiam. 144 lin. 26 tudit l. rudit 173. lin.6. conlmeatum l. commeatum. 176. lin.27. aſcendiſte l-aſcendite. 181. lin.18. vode l.vade.189.lin.14.eſt l.es.203.lin.19.irritã l. irritãt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

7-2-2.